




Reg 44-133



MORALI

CHRISTIANA

EX SCRIPTURA SACRA

Traditione, Conciliis, Patribus,

et Scholis Theologicis

EXTRACTA

in Principia generalia
sive Consequia

et in Principia specialia

et in Principia particularia

et in Principia morales

et in Principia politica

et in Principia economica

et in Principia iuridica

et in Principia philosophica

et in Principia mathematica

et in Principia physica

et in Principia historica

et in Principia geographica

et in Principia astronomica

et in Principia meteorologica

et in Principia botanica

et in Principia zoologica

et in Principia medica

et in Principia chirurgica


TOLSAE

AD J. K. ROBERT, Librarium, qui in

Oppidulo, in vico S. Martini

M. DCCIX.

Qui Agrippinus est Præceptor



MORALIS CHRISTIANA

EX SCRIPTURA SACRA
Traditione , Conciliis , Patribus,
& insignioribus Theologis

EXCERPTA.

In quâ positis & statutis principiis generalibus deducuntur Confectaria;

Quibus casus conscientia sigillatim explicantur,

Auctore R. P. JACOBO BESOMBES, Doctore
Theologo, Congregationis Doctrinæ Christianæ,
& in Provincia Tolosana ejusdem Congregationis præposito Provinciali.

Quis quis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter hæsitat, querat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me, & ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad eum, de quo actum est: Quærite faciem ejus semper. Aug. lib. de Trin. pag. 3.



T O M U S



TOLOSÆ,

Apud G. ROBERT, Librarium, Artium Magistrum & Typographum, in vico Sanctæ Maritime.

M. DCCIX.

Cum Approbatione & Privilegio.

MORALIS

CHRISTIANA

EX SEPTUAGINTA

Tribus, Coniunctis, Partibus;

Et insignibus, Titulis;

EXCERPTA

In quibus, et aliis, hinc inde, extractis, de
dantur, Coniunctis;

Quibus, etiam, conficiuntur, hinc inde, extracta.

Auctore, R. JACOBO BARONIA, Doctore

et Professore, Congregationis, Societatis, Christi,

in Provincia, Tolosana, et in, Civitate,

hinc inde, extracta.

Quibus, etiam, conficiuntur, hinc inde, extracta,
partibus, hinc inde, extractis, hinc inde, extractis,
videlicet, hinc inde, extractis, hinc inde, extractis,
hinc inde, extractis, hinc inde, extractis, hinc inde, extractis,
hinc inde, extractis, hinc inde, extractis, hinc inde, extractis.


TOMUS

TOLOSA

Apud, G. ROSSA, Typographum, in, Civitate, Tolosana,

M. DC. CII.

Cur Approbatus, et, Imprimatur,



ORDO.

*Eorum, quæ pertractantur in hoc
secundo volumine de Decalogo.*

P roemium operis, & Decalogi descrip- tio.	pag. 1
Illius distributio in Dei cultum, & officium proximi.	2
Ratio distributionis.	<i>ibid.</i>
Per quid observatur primum Decalogi præ- ceptum?	5
TRACTATUS I. De Fide.	
Quid fides? & quotuplex? quid circa fidem præcipitur, & quid prohibetur?	6
Quodnam fidei objectum?	7
Quinam articuli sunt credendi?	8
Confectaria hujus Doctrinæ	11
An actus fidei interiores ab adulto elicien- di?	15
Confectaria hujus Doctrinæ.	17
Quandonam fidem exterius profiteri tene- mur?	23
Confectaria hujus Doctrinæ.	24
Quandonam prudenter possimus fidei pro- fessionem omittere?	25
Confectaria hujus Doctrinæ.	26
Peccant ne elicientes actus fidei contra- rios?	27
Confectaria hujus Doctrinæ.	28
Tom. II.	ã

ORDO.

Quid hæresis ? schisma ? & apostasia ?	36
Quænam requirantur , ex parte personæ , ut quis hæreticus dici possit ?	37
Confectaria hujus Doctrinæ.	38
Quænam requirantur ex parte objecti , ut quis sit hæreticus ?	40
Confectaria hujus Doctrinæ.	41
Quænam requirantur ex parte personæ , ut quis dici possit schismaticus ?	45
Confectaria hujus Doctrinæ.	46
Quænam sufficiant , ut schismaticus quis di- ci possit ?	47
Confectaria hujus Doctrinæ.	48

TRACTATUS II. De Spe.

Quid spes ? & quotuplex ? quid circa spem præcipitur , & quid prohibetur ?	49
Quodnam spei objectum ?	50
An scienda ab omnibus oratio Dominica , & an quæ continet bona , petenda sint , & spe- randa ?	51
Confectaria hujus Doctrinæ.	52
An spei actus elicere teneatur adulus ? & quando ?	54
Confectaria hujus Doctrinæ.	56
Peccant ne elicientes actus spei contra- rios ?	58
Confectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>

TRACTATUS III. De Charitate.

Quid charitas ? & quid circa illam præcipi- tur ? & quid prohibetur ?	64
Quodnam . & quotuplex ejus objectum ?	65
Quotuplex charitas ?	<i>ibid.</i>
Quæ sunt à nobis diligenda ?	66
Confectaria hujus Doctrinæ.	67
Quis ordo inter charitatis objecta servan- dus ?	69

O R. D O.

Confectaria hujus Doctrinæ.	70
An charitatis actus erga Deum frequenter eliciendi ?	73
Confectaria hujus Doctrinæ.	75
An Deus, ut suprema bonitas, pios erga ipsum mentis nostræ affectus exigat ?	81
Confectaria hujus Doctrinæ.	82
An Deus, ut beatitudo nostra, bonis creatis præferendus.	83
Confectaria hujus Doctrinæ.	85
An deliberatè agens omnia opera sua in Deum, ut finem ultimum referre teneatur ? & quomodo ?	87
Confectaria hujus Doctrinæ, & Monita.	90. & seq.
Peccant ne elicientes actus contrarios amoris affectivo erga Deum ?	95
Confectaria hujus Doctrinæ.	96
Peccant ne elicientes actus contrarios amoris effectivo erga Deum ?	97
Confectaria hujus Doctrinæ.	99
Ad quid obliget charitas erga nos ?	101
Confectaria hujus Doctrinæ.	103
Quæ vitia charitati erga nos opposita ?	107
Confectaria hujus Doctrinæ.	108
Ad quid charitas erga proximum obliget quoad actus intetnos.	113
Confectaria hujus Doctrinæ.	115
Ad quos proximos se extendat charitas ?	119
Confectaria hujus Doctrinæ	120
Ad quid obliget charitas erga proximum quoad actus externos, quid latè sumpta ? quid strictè sumpta ? & in quibus fundatur eleemosina ?	127

ORDO.

Quotuplex superfluum ? quotuplex necessitas.	128
In quibus casibus eleemosina sit de præcepto ?	<i>ibid.</i>
Confectaria hujus Doctrinæ.	131
Quandò nam urget præceptum eleemosinæ ?	132
Confectaria hujus Doctrinæ. Et Monitum de superfluo.	134
Ad quid tenentur divites in extrema pauperum necessitate ?	136
Confectaria hujus Doctrinæ.	137
An dare etiam de necessariis statui teneamur ?	140
Confectaria hujus Doctrinæ.	142
An teneamur nobis subtrahere necessaria secundùm quid ?	144
Confectaria hujus Doctrinæ.	145
Ad quid tenentur divites in gravi pauperum necessitate ?	146
Confectaria hujus Doctrinæ.	147
Ad quid teneantur divites in communi pauperum necessitate.	148
Confectaria hujus Doctrinæ.	149
Ex quibus bonis eleemosina fieri possit, & debeat ?	150
An subditus possit eleemosinas facere de bonis superioris contra ipsius voluntatem, in quibus casibus ?	152
Confectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>
An contra voluntatem injustam superioris ?	154
Confectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>
An de bonis, quorum Dominus est, vel quorum habet dispensationem ?	155

Confectaria

O R D O.

Confectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i> & 156
An de bonis, quæ dedit ei superior?	157
Confectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>
An de acquisitis turpi lucro & injuste?	158
Confectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i> & 159
An bona illicitè data, & accepta in eleemosinas sint impendenda?	160
Confectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>
An inhonestè acquisita retineri possint, & in eleemosinas impendi?	161
Confectaria hujus Doctrinæ.	162
Quibus pauperibus danda sit eleemosina?	163
Confectaria hujus Doctrinæ.	164
Quæ conditiones eleemosinam comitari debeant?	167
De eleemosina spirituali, seu de correctione proximi, quot modis fiat, & in quibus necessitatibus.	168
Quid correctio, & quotuplex?	169
An correctio fraterna sit de præcepto? quos obliget, & quando?	170
Confectaria hujus Doctrinæ.	172
An correctio juridica non solum sit de præcepto charitatis; sed justitiæ?	175
Confectaria hujus Doctrinæ.	177
Quomodo fieri debeat correctio fraterna?	179
Confectaria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i> & seq.
Quid sit denunciatio, & quotuplex	183
Quænam præcedere debeant, vel subsequi?	184
Monita duo circa illud.	<i>ibid.</i> & seq.
Quilibet tenetur aliis bono exemplo præluere.	185
Confectaria hujus Doctrinæ.	186

ORDO.

- De actibus charitati erga proximum con-
trariis. 187
- An odium proximi sit peccatum mortale?
& quando? 188
- Confectaria hujus Doctrinæ. 189
- Quandonam invidia sit peccatum mortale,
vel veniale. 190
- Confectaria hujus Doctrinæ. 191
- Monita quædam circa illud. 192. & seq.
- Quandonam inimicitia sit peccatum mor-
tale? 194
- Confectaria hujus Doctrinæ. 195
- Quandonam vindicta sit peccatum mor-
tale? 197
- Confectaria hujus Doctrinæ. *ibid.*
- Quandonam vindicta non sit peccatum? 198
- Confectaria hujus Doctrinæ. 199
- Quandonam ira est licita, vel illicita? 200
- TRACTATUS IV. De Religione.
- Religionis natura, objectum, & divi-
sio. 202
- An soli Deo latriæ cultus debeatur? 203
- Confectaria hujus Doctrinæ de his, quæ
adoranda sunt, vel non adoranda latriæ
cultu. 204. & seq.
- An per Christum sit exhibendus Deo latriæ
cultus? 208
- Confectaria hujus Doctrinæ. 210
- An sine idololatriæ vivo honorari possint B.
Virgo Maria hyperdulix cultu; & Ange-
li, & sancti dulix. 211
- Adstruitur Mariæ cultus debitus. 215
- Adstruitur cultus Angelis debitus. 217
- Adstruitur cultus sanctis debitus. 220
- Adstruitur cultus sanctorum corporibus ex-

O R D O.

exhibitus.	213
Adstruitur cultus reliquiis exhibitus.	214
An cruci, & aliis passionis Christi instrumentis honos fuerit semper exhibitus? & quis sit cultus ille?	225
An licitus sit usus Symbolorum Dei naturam, & proprietates experimentium?	218
Consecratoria hujus Doctrinæ.	231
An licitus sit imaginum Angelorum usus?	232
Consecratoria hujus Doctrinæ.	233
An licitus sit usus imaginum Christi, crucis Mariæ, & sanctorum?	234
Consecratoria hujus Doctrinæ.	236
An cultus religiosus sit exhibendus iis imaginibus?	237
Consecratoria hujus Doctrinæ.	239
Qualis esse debeat cultus erga Deum, Christum, & sanctos.	241
An frequenter ab adulto eliciendi sint religionis actus?	245
Consecratoria hujus Doctrinæ.	246
An devotio sit de præcepto?	247
An oratio sit de præcepto?	249
Consecratoria de modo, objecto, subjecto, loco, tempore, materia orationis.	251
An adoratio, & sacrificium fiat non solum de consilio; sed etiam de præcepto naturali?	259
Quid sit votum, & quotuplex?	262
An votum debeat esse liberum?	265
Consecratoria hujus Doctrinæ.	<i>ibid.</i>
An votum solemne suis destitutum conditionibus nullum sit?	267
Consecratoria hujus Doctrinæ, & Monium.	268

O R D O.

- An sine consensu superioris subditus vovere possit? 270
- Consecraria hujus Doctrinae. 271
- An votum de re impossibili, illicita, & vana nullum sit? 273
- Consecraria hujus Doctrinae. 274
- An votum obliget sub peccato juxta rationalem voventis intentionem? 278
- Consecraria hujus Doctrinae. 279
- An cesset obligatio voti, cum ejus materia sit impossibilis, illicita, vana? 284
- Consecraria hujus Doctrinae. 283
- Quid sit irritatio voti, & quotuplex, & an superior possit directè inferioris votum irritare? 287
- Consecraria hujus Doctrinae; & Monumentum. 288
- An superior indirectè irritare queat inferioris votum? 289
- Consecraria hujus Doctrinae. 290
- Quid sit commutatio voti; & an quilibet possit in rem meliorem votum commutare? & an superior solus possit commutare in minorem, vel æqualem? 292
- Consecraria hujus Doctrinae. 293
- Quid sit dispensatio; & an solus Prælati Ecclesie dispensare possit? 294
- Consecraria hujus Doctrinae. 295
- Superstitio quid, & quotuplex sit? 298 & seq.
- Regulæ ad dignoscendam superstitionem ex objecto. 300
- Consecraria de iis, in quibus non est superstitio. 301
- Consecraria de iis, in quibus est superstitio. 304
- Non temerè pronuntiandum ut superstitio-

O R D O.

- sum, quod est mirabile. 306
- Monita, quibus determinatur, quid agendum,
cum præsumitur superstitio. 307
- Regulæ ad dignoscendam superstitionem ex
modo. 309
- Confectaria hujus Doctrinæ. 310
- An superstitio, inducens falsitatem, sit pec-
catum ex genere suo mortale. 311
- Confectaria hujus Doctrinæ. 312
- An superstitio cultum inducens superfluum,
sit tantum veniale peccatum, si absit con-
temptus, & scandalum? *ibid.*
- Confectaria hujus Doctrinæ. 313
- An superstitio vitiosa ex objecto sit pecca-
tum mortale? 314
- Confectaria hujus Doctrinæ. 315
- An idololatria sit peccatum mortale? *ibid.*
- Quot modis committatur idololatria? 316
- Quinam ad idololatrias reduci possint? 317
- An divinatio sit peccatum mortale? 318
- Quot modis dæmon expressè invocatur, &
ap. areat 319
- Quot nodis dæmon implicite invocatur?
& an Astrologia judiciaria sit gravissimum
peccatum? 322
- Confectaria hujus Doctrinæ. 323
- An divinatio per chiromantiam sit omnino
illicita? 324
- Confectaria hujus Doctrinæ. 325
- An divinatio, quæ fit per auguria, per vir-
gas, annulos, cribrum, &c. sit peccatum
mortale? 326
- Confectaria hujus Doctrinæ. 327
- Quid fors, & quotuplex, & an uti sortibus
sit ex natura sua malum? 328

O R D O.

- Confectaria hujus Doctrinæ. 329
 An uti fortibus per accidens peccatum sit ?
 & quando ? 330
 Confectaria hujus Doctrinæ. *ibid.*
 An divinatio per sortes ex curiositate cog-
 noscendi futura, sit peccatum mortale ? 331
 Confectaria hujus Doctrinæ. 333
 An vana observantia sit peccatum mortale ? *ibid.*
 Confectaria hujus Doctrinæ. 334
 An maleficium sit peccatum mortale ? 337
 Quotuplex est maleficium ? 338
 An liceat maleficium maleficio tollere ? 339
 Confectaria hujus Doctrinæ. 340
 An magia diabolica sit peccatum mortale ? 341
 Irreligiositas, quid sit, & quotuplex. 342
 Tentatio Dei quid sit, & quotuplex ? & an
 tentatio Dei formalis sit peccatum mor-
 tale ? 343
 Confectaria hujus Doctrinæ. 344
 Sacrilegium quid sit ? & an sit peccatum mor-
 tale ? 346
 Confectaria hujus Doctrinæ. 347
 Simonia quid sit ? 350
 Quotuplex sit simonia ? 353
 An simonia deliberata sit peccatum mor-
 tale ?
 Quænam simonia pœnis canonicis, & qui-
 bus, subjicitur ? 357
 Confectaria hujus Doctrinæ. 360
 Quinam simoniaci pœnas Canonicas incur-
 rant ? 363
 Confectaria hujus Doctrinæ. *ibid.*
 An venditio, & emptio simoniaca nulla sit,
 & simoniacus restituere teneatur spiritua-
 le & temporale ? 367

ORDO.

Confectaria hujus Doctrinæ.	369
Quibus in casibus committatur simonia?	372
Confectaria generalia hujus Doctrinæ.	375
Confectaria particularia hujus Doctrinæ.	377
Quando fiat simonia ex parte dantis spirituali pro temporali.	381
Confectaria hujus Doctrinæ. De munere à manu.	<i>ibid.</i>
De munere à lingua.	385
De munere ab obsequio.	387
Quando fiat simonia dantis temporale pro spirituali?	388
Confectaria. De munere à manu.	<i>ibid.</i>
De munere à lingua.	392
De munere ab obsequio.	393
Quicumque dat munus à manu, exclusâ obligatione, & contractu peccat ne simoniacè?	394
Confectaria hujus Doctrinæ.	395
Nota quædam.	400
Qui an manifestat meritum personæ, peccet simoniacè?	402
Confectaria hujus Doctrinæ.	403
Qui an munere ab obsequio intendit gloriam Dei primariò, & temporale secundariò, peccet simoniacè?	404
Confectaria hujus Doctrinæ.	405
Quandonam incurritur simonia fiduciaria?	406
Confectaria hujus Doctrinæ.	407
Quas pœnas incurrat ille simoniacus?	409
Quæ, & quando simonia committatur in ingressu ad Religionem.	410
An pensio exigi possit pro victu, & vestitu Novitiorum in quocumque Monasterio?	411
Quandonam exigi non possit?	<i>ibid.</i>

ORDO?

- An pensiones vitalitiæ exigì possint à Monasteriis inopibus? 412
 Consecraria hujus Doctrinæ. 413
 Quæ conditiones observandæ in exigenda pensione vitalitia, ut non incurratur simonia? *ibid. & seq.*
 Bursæ quid sint? & an illarum venditio simoniaca sit. 416
 Consecraria hujus Doctrinæ. *ibid.*
 An burzarum venditio sit turpe lucrum? *ibid.*
 Consecraria hujus Doctrinæ. 417
 An Bursarii teneantur institutis fundatorum parere, & an alioquin peccent, & teneantur ad restitutionem? *ibid.*
 Consecraria hujus Doctrinæ. 418
 Quæ remedia contra simoniam? 419



MORALIS

CHRISTIANA,

EX

SCRIPTURA SACRA,

Traditione, Conciliis, Patribus,
& insignioribus Theologis.

EXCERPTA.

DE DECALOGO

PROOEMIUM.



OST QUAM de lege genera-
tim egimus, Decalogum expli-
candum aggredimur, qui pri-
mam & præcipuam legis spe-
ciem nedum continet; sed
etiam legum omnium fons est
& summa: præcepta autem Decalogi ha-
bes sic descripta exod. cap. 20. v. 2. *Ego
sum dominus Deus tuus, .. Non habebis Deos*

A

2 MORALIS CHRISTIANA.

alienos coram me. Non assumès nomen Dei tui in vanum. Memento ut diem sabbathi sanctificès . . . Honora patrem tuum & matrem tuam. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui. Nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Præcepta Decalogi in duabus tabulis fuerunt exarata, quarum prima continebat præcepta quæ Deum: secunda verò, quæ proximum respiciebant. Quæ divisio sic potest ordinari.

In Decalogo præcipitur cultus immediatus erga Deum, & officium erga Proximum propter Deum.

Cultus immediatus erga Deum potest esse duplex; internus, externus, qui posterior in privatum & publicum dividitur. Internus præscribitur his verbis. *Dominum Deum tuum adorabis, non habebis Deos alienos coram me*: externus hoc præcepto dirigitur: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*: demùm qualis esse debeat cultus publicus hoc præcepto ostenditur: *Memento ut diem sabbathi sanctifices.*

Officium exhibendum proximo propter Deum, est duplex; externum & internum: officium externum consistit in multis. 1°. In mutuis officiis superiorum erga inferiores, & inferiorum erga superiores, quæ quidem officia declarantur his verbis: *honora patrem tuum & matrem tuam.* 2°. In conservatione vitæ, & salutis nostræ, & alie-

næ, quod docemur his verbis: *non occides.* 3°. In conservatione castitatis, quod demonstrant hæc verba: *non mœchaberis.* 4°. In conservatione rerum & possessionum proximi, quod utique monemur hoc præcepto: *non furaberis.* 5°. In conservatione veritatis quam illæsam conservat hoc mandatum: *non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

Officium verò internum erga proximum situm est in moderatione & rectitudine cupiditatum, ne quis expetat, aut cogitet aliquid contra præcepta priora; & internus ille affectus nobis satis apertè indicatur, his verbis: *non concupisces.*

D. Thom. 1. 2. q. 100. a. 5. Aliam insinuat decalogi divisionem quam juvat sic paucis contrahere: decalogus, inquit, ordinat hominem ad quamdam communitatem hominum sub Deo Sicut lex politica ordinat hominem ad quamdam communitatem sub principe. Ad hoc autem quod aliquis benè commoretur in aliquâ communitate, duo requiruntur. 1°. Ut benè se habeat ad eum qui præest communitati. 2°. Ut benè se habeat ad alios socios communitatis. Ut autem homo benè se gerat erga Deum summum Regem, & erga omnes homines sibi socios, oportet quod in lege divina, primò ferantur præcepta ordinantia hominem & ad Deum, & ad alios, scilicet proximos simul viventes sub Deo.

Principi autem communitatis tria debet homo. 1°. Fidelitatem. 2°. Reverentiam. 3°. Famulatum.

4 MORALIS CHRISTIANA.

Fidelitas erga Deum consistit in eo quod honor principatus ad alium non deferatur ; ideò dicitur : *non habebis Deos alienos coram me.* In hoc verò sita est reverentia Deo debita , ut nihil injuriosum in eum committatur ; undè dicitur : *non assumes nomen Dei in vanum.* Famulatum autem Deo debent homines in compensationem beneficiorum , quæ ab ipso recipiunt , & ad hoc statuitur præceptum de sanctificatione sabbathi , in memoriam receptorum beneficiorum : *memento ut diem sabbathi sanctifices.*

Ad proximos autem benè se habet aliquis & generaliter & specialiter : specialiter quidem , prout ad alios est debitor , eis reddendo debitam observantiam ; & sic ponitur præceptum de honorandis parentibus : *honora patrem tuum.* Generaliter verò , ut nulli inferatur nocumentum , corde , verbo , vel opere. Non quantum ad personam propriam , propter quod dicitur : *non occides.* Non quantum ad personam ipsi conjunctam , propter propagationem prolis , undè additur : *non machaberis.* Non quantum ad res possessas , undè : *non furtum facies.* Quantum autem ad nocumentum cordis dicitur : *non concupisces.* Et quantum ad nocumentum oris , additur : *non loqueris contra proximum falsum testimonium.*




DE PRIMO DECALOGI
PRÆCEPTO.

Primum præceptum Decalogi observatur, inquit August. Enchyrid. cap. 3. *Per fidem, spem, & charitatem.* Ideò ad explicandum primum præceptum, de prædictis virtutibus sigillatim agemus. Cum autem virtus religionis conducatur maximè ad observantiam primi præcepti decalogi; Ideò hinc officia religionis breviter etiam exponemus.

Circa quamcumque ex illis virtutibus quatuor agemus.

1°. Explicabimus quæ sit earum natura.
2°. Quod earum objectum. 3°. Quinam sint earundem actus à christiano eliciendi. Denique quinam sint actus iis virtutibus oppositi.



TRACTATUS PRIMUS.

De Fide.

CAPUT PRIMUM.

De Naturâ Fidei & de ejus assensu.

Assensus generatim est adhæsiō intellectus ad verum.

Assensus est duplex: assensus ex propriâ convictione; assensus ex autoritate alienâ.

A iij

6 MORALIS CHRISTIANA

Affensus ex propriâ convictione, est ille qui procedit ex clarâ objecti propositi perceptione. Talis est actus quo judico totum esse majus suâ parte; adhæreo enim huic veritati, quia ita rem esse clarè video.

Affensus ex autoritate alienâ est ille, qui fundatur, non in clarâ objecti propositi perceptione, sed in autoritate dicentis. Talis est actus quo assentior solem moveri; non quia id clarè video, sed quia Aristoteles, cui credo, illud dixit.

Affensus fundatus in autoritate humanâ non est ex se firmus; quia semper est timendi locus, ne ille cujus autoritate nitimur, vel fallatur, vel fallat. Ille assensus dicitur *fides humana*.

Affensus fundatus in autoritate divinâ est semper firmus; quia certum est, quod Deus non potest falli, nec fallere. Non potest falli, quia est infinitè sciens; non potest fallere, quia est infinitè bonus: *hic assensus dicitur fides divina*.

Fides divina est donum Dei, quo assentimur veritatibus nobis à Deo revelatis, & per Ecclesiam propositis. Duo sunt præcepta fidei, alterum affirmativum, alterum negativum.

Præceptum affirmativum fidei in eo positum est ut homo addiscat veritates fidei, eisque assentiat: atque easdem palam confiteatur, cum oportet.

Præceptum verò negativum verat ne ignoremus, veritates fidei ne his umquam interiorius dissentiamus; aut eas umquam negemus etiam exteriorius.

Fides, alia est implicita, alia explicita.

TRACT. I. DE FIDE. 7

Fides explicita ea est per quam cum actuali assensu & convictione aliquid directè credimus, cum actuali, non quidem clarè, sed distinctè objecti crediti perceptione, talis est actus quo convictus Deum esse unum & trinum, assentior interiùs Deum esse unum & trinum, certus enim sum lumine fidei quod Deus est unus & non tres, & quod tres sunt personæ & non una solùm.

Fides implicita est fides per quam cum actuali assensu & convictione aliquid directè credimus, & in preparatione animi omnia alia quæ proponuntur per fidem, sine actuali objecti crediti perceptione. Talis est actus fidei quo directè credens Ecclesiam esse infallibilem, credo omnia, quæ revelantur nobis à Deo, & per Ecclesiam proponuntur. Licet nec sigillatim nec distinctè credenti nota sint.

Fides alia est formata, alia informis.

Fides formata, seu viva, est fides conjuncta cum charitate.

Fides informis, seu mortua, est fides sejuncta à charitate.

Objectum fidei est illud omne quod fides attingit.

Objectum primarium fidei est Deus obscure revelatus: objectum secundarium sunt mysteria omnia, vel intra Deum, vel extra Deum existentia, quæ nobis obscure revelantur per fidem.

Objectum formale, seu ratio & motivum credendi, est veritas prima, quatenùs revelans; quia nihil credimus, nisi quatenùs Deus id revelavit.

Fides alia est habitualis, alia actualis.

8 MORALIS CHRISTIANA.

Fides habitualis est habitus inclinans ad actus fidei. Fides actualis est actuale exercitium fidei.

Exercitium autem actuale fidei est actus fidei, vel elicitus, vel imperatus. Actus elicitus est ille, qui fit à sola fide eliciente; talis est actus, quò credimus Deum esse unum & trinum. Actus fidei imperatus est ille qui fit à virtute distinctà quidem à fide, sed ex motione & imperio fidei. Talis est actus, quo ex motivo fidei exeremus actus virtutum moralium.

CAPUT II.

Quodnam sit objectum fidei seu quinam sint articuli credendi à quolibet fidei.

PROPOSITIO. Omnes & singuli Christiani tenentur omnes & singulos articulos Symboli Apostolorum, saltem quoad substantiam, explicitè credere.

Probatur. 1^o. ex praxi Ecclesiæ, quæ ab omnibus catechumenis adultis, ante quam baptisentur, exigit, ut recitent Symbolum Apostolorum, & respondeant an assentiantur prædictis articulis; & cum hi qui baptisandi sunt usum rationis non habent illud idem exigitur ab eorum patrinis & sponsoribus: ergo signum est, quod Ecclesia exigit ab adultis, quod credant explicitè illos articulos.

2^o. Ex patrum sententiâ; Apostoli ediderunt Symbolum. 1^o. Ut omnes unam eandemquè fidei regulam omnibus populis proponerent. 2^o. Ut singuli fideles brevem hanc

fidei formulam memoriæ mandarent facilius , at frequentius profiterentur. 3°. Ut brevi hac formulâ , veluti clypeo , adversus omnes hæreticorum fraudes præmuniri possent. 4°. Ut signum , quo discernerentur fideles ab infidelibus haberent ; v. g. si quis occurreret statim recitando suum Symbolum , agnosceretur ? An esset hostis ? An socius ? ergo ex his omnibus constat quemlibet fidelem teneri explicitè prædictos Symboli articulos credere.

3°. Ex Conciliis provinc. Concilium Forojulienſe sub Adriano 1°. an. 791. post Symbolum fidei sic habet : *Symbolum verò & orationem Dominicam omnis Christianus memoriter sciat , omnis ætas , omnis sexus , omnisque conditio , masculi , fœminæ , juvenes , senes , servi , liberi , pueri , conjugati , innuptæque puellæ ; quia sine hac benedictione nullus poterit in cœlorum regno percipere portionem.*

Concil. Moguntiacum an. 813. Can. 45. ait. *Symbolum , quod est signaculum fidei , & orationem dominicam discere semper adnoneant Sacerdotes populum Christianum. Volumusque ut disciplinam condignam habeant qui hæc discere negligunt ; sive in jejunio , sive in alia castigatione emendentur.* Et Conc. Rhemenſe an. 813. jubet ut *Orationem quam Dominus noster Jesus - Christus discipulos suos orare docuit , verbis discerent , & sensu bene intelligerent : quia illam ignorare nulli Christiano licet.* Concilium Bituricense. an. 1534. de fide Can. 7. sic habet , *omnis Christianus primâ fidei rudimenta , orationem Dominicam , Salutationem Angelicam , Symbolum Apostolorum , & Deca-*

logum studiosè perdiscat. Demum Augustodunense. an 1548. Can. 19. in medio, sic loquitur: qui dominicam orationem, & Symbolum Apostolorum ex desidiâ, aut contemptu discere nolunt, poterunt, id est, debebunt à suo confessore Sacra Communionem prohiberi donec ea addiscant.

Et quidem merito etenim qui prædicta ignorant non excusantur; ideo enim ignorant, non quia difficile est, sed quia voluntas adversa est. Aug. in Psal. 35.

4°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 2. a. 5. in corp. Quantum ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, sicut & tenetur habere fidem: quantum autem ad alia credibilia, non tenetur explicitè credere, sed solùm implicitè, vel in præparatione animi, in quantum paratus est credere, quidquid divina Scriptura continet; sed tunc solùm huiusmodi tenetur explicitè credere, quando hoc ei constiterit in Doctrinâ fidei contineri.

5°. Ex Rat. Quando aliqua virtus est de præcepto, determinatio actus virtuosi, circa id, quod est objectum proprium & per se, est de præcepto; minimè determinatio actus virtuosi circa id, quod est objectum per accidens. Sic v. g. quando fortitudo est de præcepto, actus quoque primarii fortitudinis, quales sunt aggredi hostes reipublicæ, eorum impetus sustinere, etiam cum periculo vitæ, si hoc exigat bonum reip. sunt de præcepto; minimè verò actus secundarii, quales sunt incedere armatum, vel inermem; illi enim actus non sunt de præcepto, nisi tempore & loco. Cum ergò fides sit de præcepto, ille actus erit de

præcepto, quo attingitur id, quod est per se objectum fidei: Symbolum autem Apostolorum est per se objectum fidei; ergo credere explicitè ea quæ sunt in Symbolo, erit de præcepto, Ratio hæc est D. Thom. loco citato.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Non sufficit ad salutem fides Dei, pro ut est author naturæ; sed necessaria est fides Dei prout est author gratiæ: Scriptura enim & Concilia exigunt fidem juxta illud *sine fide impossibile est placere Deo.* Ad Hæbr. II. v. 6. *Ex fide justificat gentes* ad Galat. 3. v. 8. & juxta illud Trident. sess. 6. cap. 7. *Sine fide nulli unquam contigit justificatio*: sed Scriptura & Concilia exigunt fidem, non qualemcumque, sed supernaturalem: *Gratiâ* inquit Paul. ad Ephes. 2. v. 8. *Estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis donum enim Dei est.* Et Trident. Anathema pronuntiat in eum qui dixerit. *Sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur.* sess. 6. Can. 3. idè damnata est ab Innocentio XI. & à Clero Gallicano sequens propositio *fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit* art. 3. & quidem merito: nam si gratia justificans nos in terris, & clara Dei visio beatificans nos in cœlis sit supernaturalis: fides disponens nos ad justificatio-

nem, & conducens nos ad gloriam, debet esse pariter supernaturalis: dispositio enim est ejusdem ordinis cum formâ ad quam disponit, & medium ejusdem ordinis cum fine ad quem conducit.

CONSECTARIUM. II. Non sufficit ad salutem credere in communi, quidquid credit Mater Ecclesia; quia explicitè credenda sunt præcipua mysteria fidei, ut patet ex dictis: illud enim damnatum est, ut refert Eymericus in directorio inquisitionis p. 2. q. 8. *Octava inquit, hæresis est, quod Laicus non tenetur ad aliquem fidei articulum explicitè credendum; sed sufficit sibi ista conclusio in genere, ut credat. Quidquid credit sancta Mater Ecclesia; quia cum fides sit medium ad beatitudinem assequendam, æquum est, ut credat explicitè, quæ futura sunt objectum primarium suæ beatitudinis.*

CONSECTARIUM. III. Non sufficit ad salutem credere in unum Deum explicitè, sed insuper fides explicita de Deo ut remuneratore, est simpliciter necessaria adulto, ut salutem consequatur, juxta illud: *Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Hæb. II. v. 6. Idèò damnata est hæc propositio ab Innoc. II. *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur, necessitate medii; non autem explicita remuneratoris. . . .* Quia, cum fides sit medium ad beatitudinem, omnis fidelis debet credere in Deum, ut remuneratorem.

CONSECTARIUM. IV. Non sufficit
ad

ad salutem credere in Deum, ut remuneratorem, nisi fide explicità credamus Deum esse unum in essentià, & Trinum in personis, juxta illud: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Matth. ult. Baptizandi quippe cathecumeni docendi sunt Trinitatem: Ergò debent eam explicitè credere. Unde dicit D. Th. 2. 2. q. 2. a. 8. *Post tempus gratiæ divulgatæ, tenentur omnes ad explicitè credendum mysterium Trinitatis; Quia cum fides sit medium ad beatitudinem consequendam; æquum est, ut explicitè credamus in Deum, quatenùs erit objectum nostræ beatitudinis, Deus autem beatos nos efficiet, non quatenùs unus præcisè, sed quatenùs unus & Trinus. Videbimus enim eum sicuti est.*

CONSECTARIUM. V. Fides explicita de Deo incarnato est ad salutem necessaria, juxta illud Joan. 3. v. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam, & rursus; Qui credit in Filium habet vitam æternam; qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Joan. 3. v. 36.

CONSECTARIUM. VI. Fides explicita de Christi morte & resurrectione & aliorum mysteriorum Christi, quæ vulgò cum solemnitate celebrantur in Ecclesia; ad salutem est necessaria, juxta illud: *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod illum Deus suscitavit à mortuis, salvus eris.* ad Rom. 10. v. 9.

Per mortem enim Christi redempti sumus , & per resurrectionem ipsius spem habemus resurgendi , ergò debemus hæc Christi mysteria explicitè credere , & alia quæ communiter in Ecclesia cum solemnitate celebrantur. Ideo ait. D. Th. 2. 2. q. 2. a. 7. *Post tempus gratiæ revelatæ tam majores quam minores , id est tam Pastores, quàm oves, tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi , præcipuè quantum ad ea quæ communiter in Ecclesia solemnificantur , & publicè proponuntur ; sicut sunt articuli incarnationis. Pro eadem sententiâ stat Aug. lib. 2. de peccato originali contra Pelagium & Cœlestium cap. 24. Sine fide incarnationis , & mortis , & resurrectionis Christi , nec antiquos justos, ut justii essent à peccatis, potuisse mundari , & Dei gratiâ justificari, veritas christiana non dubitat : siue in eis justis quos sancta scriptura commemorat ; siue in eis justis quos quidem illa non commemorat ... Sicut fuerunt Prophetae .. , Sicut fuit Job.*

Ex quo satis intelligitur quod fideles catholici sine salutis dispendio ignorare non possunt necessitatem baptismi & pœnitentiæ , realem Christi præsentiam in Eucharistiâ ; Post consecrationem non remanere panem & vinum sub speciebus sacramentalibus, nec fas est eos ignorare piam & non idolatricam esse eam invocationem & venerationem sanctorum , quæ in universâ exercetur Ecclesiâ , usumque indulgentiarum esse salutarem , Purgatorium existere , animas ibi de rentas juvari posse Ecclesiæ suffragiis , & præcipuè Missæ sacrificio ; Quia hæc omnia

communiter in Ecclesiâ solemnifantur, ut utar verbis. Divi Thomæ.

CONSECTARIUM. VII. Fides explicita de sacramentis jam receptis, vel proximè recipiendis est necessaria; quia sacramentum debet ab adultis recipi cum debitis dispositionibus; dispositio autem primaria ad sacramentum est fides sacramenti. Quomodo autem sanctè reciperetur id cujus natura penitùs ignoraretur.

CAPUT III.

De actibus Fidei à Christiano elicendis.

NOta actus fidei alios esse interiores, alios exteriores; actus interiores fidei sunt, addiscere veritates fidei ad salutem consequendam necessarias, & easdem non ignorare, assentiri fidei veritatibus sufficienter propositis, & eisdem numquam dissentire.

Actus fidei exteriores sunt confiteri fidem, cum oportet, & numquam eam negare.

§. I.

De actibus interioribus fidei.

PROPOSITIO. I. Non sufficit ad salutem, ut Christianus adultus habeat fidem habitualementem; sed frequenter debet actus interiores fidei elicere, vel explicitè, vel implicitè; *per se* quando obligatio oritur ex ipsa fide, *per accidens*, quando obligatio oritur ex alia virtute.

Probarur. Script. Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad justitiam.* Hæc autem vox *creditur*, denotat actum, & non solum habitum; Ergo ad salutem non sufficit solus habitus fidei, sed requiritur ut aliquando eliciantur actus fidei. Rursus dicitur Gal. 3. v. 11. *Iustus ex fide vivit*; Fides ergo est nutrimentum animæ; Ergo sicuti tenetur homo non semel, sed frequenter cibos sumere, ut vitam corporalem foveat; ita & homo fidelis tenetur, non solum semel, sed frequenter, animam suam actibus fidei nutrire.

2°. Ex Aug. serm. nunc 38. alias 235. c. 3. *Hoc est primum præceptum hoc est, initium religionis & vitæ nostræ, fixum habere cor in fide*; Ergo si fides est primum præceptum, debemus frequenter actus fidei elicere. Adde quod sequentes propositiones damnatæ sunt à summo Pontifice & à Clero Gallicana, art. 8. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, charitatis, ex vi præceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium.*

Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, secundum se. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

3°. Ratione: Ex D. Th. 2. 2. q. 2. a. 5. *Præcepta legis, quæ homo tenetur implere, dantur de actibus virtutum, qui sunt via perveniendi ad salutem rursus præcepta non dantur de habitibus virtutum, sed de actibus* 2. 2. q. 31. a. 4. ad. 1. *Atqui fides est virtus necessaria ad salutem; Quia sine fide impossibile est placere Deo; Ergo aliquando actus fidei præcipitur, & non solum habitus fidei. Primi autem*

actus fidei sunt illi quibus interiori Deo credimus.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM. I. Peccat quilibet homo, sive baptizatus, sive non baptizatus, qui assequutus annos discretionis, non credit Deum existere, quia tunc ei interiori Deus proponitur ut existens; cum existentia Dei non possit *invincibiliter* ignorari. De hac obligatione ita loquitur D. Th. 1. 2. q. 89. a. 6. ad. 3. *Dicendum quod ab aliis peccatis mortalibus potest puer incipiens habere usum rationis, per aliquod tempus abstinere: sed à peccato omissionis praedictae, scilicet convertendi se ad Deum, non liberatur nisi quam citò potest se convertat ad Deum. Primum enim quod occurrit homini discretionem habenti est, quod de se ipso cogitet ad quem alia ordinet sicut ad finem... Et ideo hoc est tempus pro quo obligatur ex Dei praecepto affirmativo se convertere ad Deum quo Dominus dicit, convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Zachar. 1.*

CONSECTARIUM. II. Peccat quilibet homo sive baptizatus, sive non baptizatus, qui sufficienter edoctus mysteria fidei, eis non assentitur, quia actus fidei est assentiri rebus fidei, quando proponuntur.

CONSECTARIUM III. Peccat quilibet homo sive baptizatus, sive non baptizatus, si sit sufficienter instructus, qui tentatus circa res fidei, non elicit tunc actum fidei, quia tunc tentatio non potest ut plu-

rimum aliter vinci; & quia dubitare in fide est quædam infidelitas, ideo in illis tentationibus debemus dicere: *Domine adauge nobis fidem.* Luc. 17. v. 5. *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* Marc. 9. v. 23.

CONSECTARIUM. IV. Peccat homo qui in reliquis gravibus tentationibus nullos umquam actus fidei elicit, quia præcipuum remedium contra tentationes est fides, juxta illud: *Induite vos armaturam fidei ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Eph. 6. II. & Aug. tract. 49. in Joan. Ait disertis verbis: si fides in nobis, Christus in nobis; quando credimus, Christus est in nobis vigilans; Quando non credimus, Christus est in nobis dormiens, ut dormiebat in Petri navi, quæ agitabatur fluctibus, ideo fidelis tentatus debet clamare cum Apostolis. *Domine salva nos perimus.* Mat. 8. v. 15.

CONSECTARIUM V. Peccat, qui obligatus elicere actum virtutis præsupponentis essentialiter virtutem fidei, v. g. actum spei, charitatis, orationis, &c. Non prius elicit actum fidei vel implicitum vel explicitum, quia uti fides habitualis præcedit spem & charitatem habituales, ita & fides actualis præcedit actus spei, & charitatis, religionis, &c. Ideo ait Aug. serm. 8. de decem plagis & præceptis Domini, cap. 10. *Inter omnes tamquam natos cordis nostri primogenita fides est; nemo enim bene operatur nisi fides præcesserit.*

CONSECTARIUM. VI. Peccat qui compos sui, non elicit actum fidei circa sa-

cramentum quod recepturus est, v. g. Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-unctionem, Ordinem, Matrimonium, quia præcipua dispositio ad sacramenta novæ legis est fides sacramenti, de qua ita Aug. *Sine fide catholica si quis ad baptismum accedit, idem dic de aliis sacramentis, ipse contra se indulgentiæ januam claudit*, lib. 2. de symb. cap. 10. & juxta Trident. *Sacramenta sunt signa per quæ omnis vera justitiâ, vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur*. Sess. 6. in præmio. Ergo, ut sacramenta sint fructuosa, oportet saltem credere eam vim inesse sacramentis.

CONSECTARIUM. VII. Peccat qui compos sui, non elicit actum fidei in mortis articulo; quia tunc maximè vigent tentationes ad quas vincendas requiritur præcipuè fides. *Hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra* 1. Joan. 5. v. 4. Quia tunc maximè debemus ad Christum credendo accedere, dicentes cum Paulo desiderium habeo, *dissolvi & esse cum Christo*. Phili. 1. v. 23.

CONSECTARIUM. VIII. Peccaret qui ita esset affectus, ut mysteriis revelatis nollet credere nisi clare ea videret, quia fides debet esse de non visis. *Fides est argumentum non apparentium*, ad Hæbreos c. 11. v. 1. & juxta Gregorium, *divina operatio si ratione comprehenditur non est admirabilis, nec fides habet meritum cui humana ratio præbet experimentum*. Homil. 26. in principio. Fides est lucerna quæ quidem lucet in caliginoso loco, & quæ econtra in aperto obscuratur: sicuti fax radiis solaribus exposita lumen omni-

ne suum extinguit ; in tenebrosis verò locis inclusa radios suos longè latèque dispergit.

CONSECTARIUM. IX. Peccat qui absolute renuit credere revelatis ; vel non habet tam promptam voluntatem ad credendum , nisi moveatur humanis ratiociniis & argumentis. Etenim ut ait D. Thom. 2. 2. q. 2. a. 10. *Ratio præcedens fidem minuit meritum fidei ; ratio vero subsequens adauget meritum fidei.* Sicuti passio præcedens electionem , in virtutibus moralibus , minuit laudem actus virtuosi : Passio vero subsequens adauget meritum. *Melior est fidelis ignorantia , quàm temeraria scientia ,* Aug. serm. nunc. 27. alias de verbis Apof. serm. 20. & Tertulli. lib. de præscript. cap. 8. *Cedat curiositas fidei , gloria saluti. . . . Adversus regulam nihil scire omnia scire est.* Et lib. de animâ cap. 1. *Præstat per Deum nescire ; quia non revelaverit quam per hominem scire ; quia præsumpserint.*

CONSECTARIUM. X. Cum juxta Auguf. tractat. 29. in Joan. tom. 9. vet. edit. actus fidei sint credere Deum , credere Deo , credere in Deum , oportet ut frequenter nos ad hujusmodi actus excitemus , ut sic crescamus in fide , juxta illud Pauli ad Colof. 61. v. 10. *In omni opere bono fructificantes , & crescentes in scientia Dei.*

Credere Deum ait Aug. *est credere quia ipse est Deus.* de illo actu loquitur Paulus , cum dicit *accedentem ad Deum oportet credere , quia est & inquirentibus se remunerator sit* ad Hæb. 11. v. 6. & Joan. 6. v. 7. *Nos credimus , & cognovimus , quia tu es filius Dei.*

Credere Deo est, credere vera esse quæ loquitur.
 Aug. ibidem. De illo actu loquitur Genesis 15.
 v. 6. *Credidit Abraham Deo.* Et Exodus 19.
 v. 9. *Audiat me populus loquentem ad te &
 credat tibi in perpetuum,* & Eccles. 2. v. 6.
Crede Deo, & recuperabit te.

Credere in Deum est diligere illum. Au-
 gust. ibidem de illo actu dicitur 2. paralymp.
 16. v. 9, *Oculi Domini contemplantur univer-
 sam terram, & præbent fortitudinem his qui
 corde perfecto credunt in eum,* & cap. 20 *Cre-
 dite in Dominum, & securi eritis,* & Joan.
 6. v. 35. *Qui credit in me non sitiet.*

CONSECTARIUM XI. Hinc patet
 quam vana sit Quietistarum illusio, qui fidem
 quâ *justus vivit* omni profus actione desti-
 tuunt, eamque in merâ quiete, ut aiunt,
 sitam esse contendunt, unde & à Sede Apo-
 stolicâ meritò proscripta est sequens propo-
 sitio, *In oratione opus est manere in fide obs-
 curâ & universali, cum quiete & oblivione cu-
 juscumque cogitationis particularis ac distinctio-
 nis attributorum Dei ac Trinitatis; & sic in Dei
 præsentia manere, ad illum adorandum, & aman-
 dum, eique inserviendum; sed absque productio-
 ne actuum; quia Deus in his sibi non compla-
 cet.* Ita in constitut. Innocen. II. quæ inci-
 pit *Cælestis Pastor* Propos. 21. & quidem
 nihil capitaliùs scripturæ, Conciliis & Patri-
 bus adversatur; scriptura enim docet: *Fidem
 esse argumentum, id est convictionem non ap-
 parentium* ad Hæbr. II. v. 1. *convictio au-
 tem mentis actionem exprimit minimè verò
 cessationem ab omni actu.* Deindè Conci-
 l. Triden. sess. 6. Can. 4. anathema pronuntiat

contra eos omnes qui dixerint, *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti..... Sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, merèque passivè se habere.* Demum Aug. citatus à D. Thom. 2. 2. q. 2. a. 1. ait *credere est cum firmo assensu cogitare.* Ergo exercitium fidei in operatione & non in cessatione ab omni actu consistit.

Hinc patet etiam, fidei exercitium quod Deus à nobis exigit, non in eo præcisè situm esse ut propositis mysteriis firmiter solum assentiamur; sed insuper requiri ut eas exerceamus virtutes ad quas fides inclinatur. Fides enim, inquit Jacob. *Sine operibus mortua est & Paulus docet hominem justum fieri per eam solum fidem quæ per charitatem operatur;* Concil. verò Trident. anathema protulit contra eum qui dixerit *hominem justificatum... non teneri ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ; sed tantum ad credendum.* Sess. 6. Can. 20. & cap. 11. sic loquitur, *nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide solâ se heredem esse constitutum, hereditatemque consecuturum etiamsi Christo non compatiatur, ut & conglorificetur;* propterea Apostolus ait: *sic currite ut comprehendatis.* Item Princeps Apostolorum Petrus *satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc facientes non peccabitis aliquando.*

§. II.

De professione exteriori fidei

I. PROPOSITIO. Tenemur ex præce-

pto affirmativo fidei profiteri coram hominibus veritates fidei, quando autoritate publicâ interrogamur, & quoties honor Dei, & utilitas proximi ex nostro silentio private, vel contrariè subtraherentur, ut loquitur D. Thomas, id est, *fides non promoveretur cum deberet promoveri, & obex fidei non solum non tolleretur, sed etiam poneretur.*

Probat. 1°. script. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, dicit enim scriptura: *omnis qui credit in illum non confundetur*, ad Rom. 10. v. 10.

2°. Ex Patribus. Ambros. lib. 8. in Lucam propè finem ait quod Christus interrogavit Zachæum ut crederemus, neminem nisi conscientem posse salvari, & Aug. cont. mendac. c. 6. ait: *Catholicam hanc autem veritatem catholicus sicut in corde loquitur, quia ita credit; ita & in ore debet, ut ita prædicet.*

3°. Ratione. D. Th. 2. 2. q. 3. a. II. *Confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis; sed in aliquo loco & tempore; quando scilicet per demissionem confessionis subtraheretur honor debitus Deo, etiam utilitas proximis impendenda: puta si quis interrogatus de fide taceret; & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per hujusmodi taciturnitatem averterentur à fide: in hujusmodi enim casibus confessio est de necessitate salutis. Ideò damnata est hæc propositio: Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se, non damno. Vide cens. cleri Gallicani.*

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM. I. Tenemur etiam cum vitæ temporalis dispendio religionem nostram confiteri in sequentibus casibus.

1°. Si à potestate publica, vel publicè, vel privatim interrogemur de fide; tunc enim maximè non debemus erubescere Evangelium; Alias juxta Lucam 9. v. 26. Christus nos non agnosceret: *Qui me erubuerit, & meos sermones, inquit, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris & Sanctorum Angelorum.*

2°. Cum ab impiis exercitia pietatis ridentur, tunc oportet audentius religionem exercere. Contra eos qui in his circumstantiis negligunt fidem profiteri affertur exemplum Pauli, qui ait de se ipso, *non erubescō Evangelium.* Rom. c.I.v. 16. Exemplum Davidis. *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum & non confundebam.* Psal. 118. v. 46.

3°. Quando fideles vel infideles exterius aspernantur sacra & sancta, & ex confessione expectatur emendatio infidelium, vel fidelium vacillantium confirmatio in fide; quia talem confessionem exigit majestas Dei per talem confessionem honoranda, & utilitas proximi per eandem professionem procuranda, vide D. Thom. 2. 2. q. 3. a. 4. ad 2.

4° Præcepto Ecclesiastico expresso in Tridentino ses. 24. cap. 12. & ex constitutione Blesensi articulo 10. professio fidei edenda est

est in manus ordinarii ab eo qui Beneficium Ecclesiasticum suscipit, debetque in actis publicis hæc professio insinuari, & si agatur de dignitate, personatu, officio, vel præbenda Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiæ iteranda erit similis professio fidei coram Capitulo. Facienda verò ista fidei professio à *præsente* ante aditam possessionem; *ab absente* autem, duobus saltem mensibus post sumptam possessionem.

II. PROPOSITIO. Quando non interrogamur juridicè, & sumus extra illos casus in quibus honor Dei, vel utilitas proximi contrariè subtraherentur, possumus prudenter ea præstare quæ nos, vel ab injusta citatione coram iudice vindicant, vel à præpostera confessione dispensant.

Probatur 1°. Scriptura. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ.* Math. 10. v. 16. ergo ut explicat Nicolaus de Lira: *Aliquando prudenter declinanda est malitia persecutorum, sicut Paulus videns malitiam Judæorum volentium eum interficere sine causa, oppellavit Casarem.* Act. 15.

2°. Ex Clemente Alexand. *Hanc autem confessionem operum sequitur etiam singularis confessio fidei: quæ fit apud potestates, si opus fuerit, & ratio impulerit.* Clemens Alexand. lib. 4. Stromatum, cap. 5. ergo hæc confessio fidei debet fieri prudenter.

3°. Ratione. Tunc solum actus alicujus virtutis est de præcepto, quando prudenter judicatur necessarius ad finem charitatis; quia suis præcepti est charitas, ergo, cum

extra prædictos casus confessio fidei non conducatur, vel ad honorem Dei, vel ad salutem proximi, confessio fidei non erit de præcepto. Ratio est D. Thom. 2. 2. q. 3. a. 2. ad 1.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM. I. In persecutione contra Ecclesiam, Fideles non tenentur sponte suâ se offerre Tyranno, ut coram ipso fidem confiteantur; quia Christus non jubet ut adeamus Tyrannum, Sed ut ducti fidem profiteamur. *Tradent vos... ad Reges ducemini*, inquit Christus. Matth. 10. v. 18. Qui enim sese offert est *audax & temerarius, & inconsultè se in manifesta pericula conjiciens*. Clemen. Alexand. *ibid.*

CONSECTARIUM. II. Si aliquis specialiter quærat, ejusque præsentia non sit necessaria ad confirmandos fideles, potest fugere. Ità Jussit Christus, dicens: *Cum autem persequentur vos in civitate istâ, fugite in aliam*. Sic Elias sese abscondit à furore Jezabel. 3. Reg. cap. 19. Sic Christus infans fugit in Egyptum. Matth. 2. v. 15. Et vir factus abscondit se à Judæis volentibus eum occidere. Joan. 12. v. 36. Idem præstiterunt Apostoli. idem factum cernimus à sanctissimis viris, Athanasio, Basilio, Sylvestro, &c. de quâ re Chrysost. ait serm. 151. *Fugiente Domino, fugere indignum non putet servus*. De eadem re sic loquitur Chrysolog. serm. 151. *Martyr comprehensus debet tenere constantiam, non comprehensus debet fugere persecutionem; ut & persecutori indulgeat resipis-*

cendi tempus, & sibi tempus non auferat supplicandi.

CONSECTARIUM. III. Si Tyrannus liberum religionis exercitium nolit permittere, nisi acceptâ pecuniâ, poterunt fideles eam pecuniam pendere, modò secretò fidem non negent, ut faciebânt olim quidam libellatici; licet enim se argento ab injustâ vexatione redimere. Id videtur docere Salomon. Prov. 23. v. 8. *Redemptio animæ viri, divitiæ suæ.*

CONSECTARIUM. IV. Peregrinando apud infideles possumus prudenter non prodere fidem, possumus uti rebus, vestibus & signis nationi propriis; id enim fecerunt Joseph & Daniel viventes inter infideles: *Penes nos quoque fideles, inquit Tertullianus, si necesse fuerit, poterit puerilis prætextâ concedi, & puerilis stola; nativitatæ insignia, non potestatis; generis, non honoris; ordinis, non superstitionis.* De idololatria cap. 18.

CAPUT IV.

De actibus fidei contrariis.

PROPOSITIO Peccant graviter quicumque eliciunt actus fidei contrarios v.g. Qui fidem negant, qui fidem impugnant, qui fidei propositæ dissentiant, & qui eisdem peccatis se exponunt.

Probatur Script. De negatione fidei sic loquitur Math. cap. 10. v. 33. *Qui autem negaverit me coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo.*

De impugnatione fidei sic loquitur Paulus ad Rom. 2. v. 8. *Iis autem qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.*

De dissensu fidei sic loquitur Joan. 3. v. 18. *Qui non credit jam judicatus est.* De periculo exponendi se peccato, sic loquitur Sapiens: *qui amat periculum peribit in illo*

2°. Ex D. Thom. *Sicut præcepta negativa legis prohibent actus peccatorum, ita præcepta affirmativa inducunt ad actus virtutum* 2. 2 q. 33. a 2. in corp. ergo sicut fides præcipit actus fidei, ita prohibet actus fidei contrarios.

3°. Ratioue. Negare fidem, impugnare fidem, dissentiri fidei, exponere se periculo perdendi fidem, sunt actus contrarii virtuti Theologicæ: ergo sunt peccata ex suo genere mortalia.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM. I. Peccant mortaliter qui interrogati vel privatim, vel publicè, verbis, vel nutibus suam negant religionem, ut se è manibus tyrannorum eripiant. De quibus sic Aug. serm. 179. *Quid prodest corde credidisse ad justitiam, si os dubitat proferre id quod corde conceptum est. Intus fidem Deus videt, sed parum est Egrote quomodo sanaberis, qui de medicamento tuo erubescis?* Ita Augustinus citatus à Natali Alexand. de Decalogo. Regulâ 15.

CONSECTARIUM. II. Peccant pariter gravissimè qui interrogati vel privatim, vel publicè, verbis, vel nutibus, vel

factis falsam religionem simulant, quamvis interius veram religionem se retinere & retenturos proponant; etenim simulatio falsæ religionis est quædam negatio veræ fidei, & mendacium perniciosum, quo honor Deo debitus violatur, & infertur scandalum proximo; ideo damnati sunt Helio^{ce.co} & Libellatici, qui putabant licitum esse simulare falsam religionem, ut effugerent tyrannorum persecutionem. Confessionis fidei exemplum habemus egregium in Eleazaro, qui mori maluit, quam aliquid contra Judaicam religionem simulare: *Non enim, inquit, ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum; & ipsi propter meam simulationem decipiantur; & per hoc maculam atque execrationem meæ senectutis conquiram. Nam etsi in præsentem tempore suppliciiis hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam.* Machab. cap. 6. v. 14.

CONSECTARIUM III. Peccant gravissimè, qui nec privatim nec publicè interrogati, ut cautius veram religionem occultent, utuntur ceremonis & ritibus falsæ religionis v. g. ritibus Paganorum apud Paganos, Judæorum apud Judæos, Mahumetanorum apud Mahumetanos: vestiuntur indumentis destinatis ad profitendam falsam religionem. v. g. vestibus Sacerdotalibus, vestibus in quibus depingitur, aut idolum quod adorandum proponitur, aut aliquid aliud ad religionem pertinens; quia usus ille exterior rituum falsæ religionis, quamvis vera religio

interiùs retineatur, non potest in dictis circumstantiis non haberi tanquam falsæ religionis protestatio & veri numinis negatio. Ideo Sedes Apostolica an. 1643. proscripsit praxim quorundam apud Sinas Missionariorum, qui contendebant licere Christianis adorationem idolis exhibere: modò adorantis intentio dirigeretur ad verum Deum depictum in imagine, quæ vel sub adorantis vestibibus, vel in altari propè idolum latitaret. Simile quid vituperat dominus in Affiriis Samariam missis, qui *cum colerent dominum, diis quoque suis serviebant juxta consuetudinem gentium*. 4. Reg. cap. 17. v. 33. Illud idem reprobatur Paulus 2. ad Corint. 6. v. 15. his verbis. *Quæ autem conventio Christi ad Belial: aut quæ pars fidelis cum infideli: qui autem consensus templo Dei cum Idolis.*

CONSECTARIUM IV. Non excusantur penitus à peccato, qui degentes apud infideles, veriti ne interrogentur de religione, semper omittunt solita Catholicæ religionis indicia v. g. diebus jejunii non jejunant; diebus Veneris & Sabbathi manducant carnes; ut non dignoscantur tanquam Catholici; quavis interiùs in corde veram religionem retineant; quia omissio illa est perpetua vere religionis occultatio, & quasi falsæ religionis professio. Vide dicta de Lege pag.

CONSECTARIUM V. Gravis peccati rei sunt qui oppugnant id, quod universa tenet Ecclesia, sive per praxim omnium fidelium, sive per Concilium generale, sive per summum Pontificem mentem suam aperiat. 1°. Quia universa Ecclesia est infallibilis in rebus pertinentibus ad

fidem & bonos mores ; est enim sponsa Christi per fidem , sicut scriptum est. *Desponsabo te mihi in fide.* Christum habet semper præsentem : *Ecce ego vobiscum sum , usque ad consummationem sæculi* , Mathæi ult. v. 20. Habet Spiritum Sanctum docentem omnem veritatem , juxta illud : *Ille docebit vos omnem veritatem* Joan. 16. v. 13. Ideo dicitur à Christo Math. 18. v. 17. *Si autem Ecclesiam non audierit , sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

Tales sunt 1°. Hæretici qui fidei Ecclesiæ pertinaciter contradicunt.

2°. Schismatici qui se ab universali Ecclesia per inobedientiam separant.

3°. Apostatæ qui à statu fidei temerariè recedunt.

CONSECTARIUM VI. Peccant gravissimè homines illi pervicaces & opinosi , qui fidem Christianam sufficienter propositam non admittunt ; quique eam , quam à Deo per prophetas , per Christum , per Apostolos edocti sumus religionem , morosius quàm par est ad examen revocant , huic que parere renuunt. Injuriâ quidem , quid enim abrogatur fides huic religioni , quam tot miracula comprobant , tot sæculorum consensus firmat , tot Prophetarum oracula demonstrant , tot martyrum sanguis obsignat , quam tot eruditorum hominum scripta , ità certam & indubitam efficiunt , ut plusquam satis superque examinata habenda sit : quæque demum prædicata *non in humanæ sapientiæ verbis sed in simplicitate sermonis* , in mundo suscepta est , invita Imperatorum autoritate , contradicente Philosophorum sapientiâ , sæ-

viente dæmonum invidiã , & repugnante singulorum hominum naturã ; quæ tam obscura misteria ut crederet , totque virtutes primo aspectu ab humanis studiis itã alienas excerceret , aut tam insperatam salutem expectaret , citra miraculum adducinon poterat. Ergo inexcusabiles omninò qui fidem Christianam sufficienter propositam non admittunt.

Hi ad tres classes reducuntur à D. Thom. 2. 2. q. 1. a. 5. Prima classis est eorum qui renituntur fidei nondum susceptæ , & talis est infidelitas Paganorum sive Gentilium

Secunda, est eorum qui renituntur fidei Christianæ susceptæ in figura , & talis est infidelitas Judæorum.

Tertia, est eorum qui renituntur fidei susceptæ non solum in figurã , sed in ipsã manifestatione veritatis , qualis haberi potest in terris ; & talis est infidelitas hæreticorum ac, proinde in statu damnationis sunt isti omnes quos hic subiicio.

Atheus qui negat Deum existere. Deista qui negat Deum esse trinum. Politheista qui negat Deum esse unum. Arrianus qui negat verbum esse Patri consubstantialem. Sabellianus qui negat personas divinas esse inter se distinctas. Demum quicumque hæreticus , qui sufficienter de doctrina Christi institutus , negat pertinaciter aliquid eorum quæ ut credenda sancta & universalis proponit Ecclesia , quod peccatum infidelitatis quàm gravissimum sit accipe ex verbis Apost. ad Timo. 1. c. 6. v. 3. *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Do-*

mini Nostri Jesu-Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum. Et D. Thom. 2. 2. q. 10. a. 3. Tantò aliquid peccatum est gravius, quanto per ipsum homo magis à Deo separatur; per infidelitatem autem maximè homo à Deo elongatur, quia non veram Dei cognitionem habet, sed falsam; per falsam autem cognitionem ipsius non appropinquat Deo, sed magis elongatur.

CONSECTARIUM. VII. Peccati lethalis reatum incurrunt etiam quicumque exponunt se aperto periculo imbibendi errores fidei contrarios, vel conversando cum infidelibus, vel cum eis disputando, vel eorum libros legendo & retinendo, vel eorum templa adeundo. Sic.

1°. Peccant, non quidem firmi; sed infirmi, qui sine necessitate & cum probabili subversionis periculo, civile etiam commercium habent cum infidelibus, de quibus ita loquitur D. Thom. Si aliqui fuerint firmi in fide, ita quod ex communione eorum cum infidelibus conversio infidelium magis sperari possit, quam fidelium à fide aversio, non sunt prohibendi infidelibus communicare, qui fidem non susceperunt; scilicet Paganis vel Judæis. & maximè si necessitas urgeat: si autem sint simplices, & infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione; & præcipuè ne magnam familiaritatem cum illis habeant, vel absque necessitate eis communicent. 2. 2. q. 10. a. 9. de quo nos ita præmonet Paulus, nescitis quia modicum fermentum totam missam cor-

rumpit. 1. ad Corinth. 5. v. 6.

2°. Peccant non quidem docti, qui disputant cum infidelibus zelo defendendæ veritatis; sed indocti, qui vel indiscreto zelo, vel dubiis in fide, disputationem cum eis incunt; quia se exponunt periculo subversionis; de quibus sic loquitur D. Thom. 2.2. q. 10. a. 7. *Ex parte disputantis consideranda est intentio; si enim disputet tanquam de fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens, procul dubio peccat tanquam dubius in fide, & infidelis: si autem disputat aliquis de fide ad confutandum errores, vel etiam ad exercitium, laudabile est. Quod ita debet intelligi, modò absit omne periculum subversionis.*

3°. Peccant qui libros hæretica dogmata continentes retinent, legunt absque superiorum licentiâ; imò qui retinent, legunt cum licentiâ superioris, si advertant ex illorum lectione sibi imminere periculum subversionis: quia exponunt se periculo infidelitatis; ideo utrique tenentur illos libros superioribus dare, aut comburere ex consilio prudentis viri, qui de illorum librorum utilitate, aut inutilitate judicabit. Uti factum legimus à primis fidelibus. *Multi ex his qui fuerant curiosa sectati contulerunt libros & combusserunt coram omnibus. Act. 19. v. 19.* Eaque fuit constans Ecclesiæ praxis ut libros perniciosos igni addiderit.

Sic jussu Concil. gener. 5. Coll. 8. *Combusti sunt libri hæreticorum. Ambulabitis, inquit, patres alloquentes hæreticorum scripta, in lumine ignis vestri, & per flammam quam*

accenditis. Et in Concilio Romæ habito ut refert Anastasius. S. R. E. Bibliothecarius in Adriano 2. *Liber Photii in ignem conjectus est; & cum fortè focus inundatione pluvie naturaliter debuisset extinguì, ad pluviam quasi ad guttas olei flamma convaluit... Et miraculi stupor omnium corda resolvit.* Combustos pariter fuisse jussu Ecclesiæ libros Berengarii docet Lanfrancus. lib. *de corpore & sanguine Christi.* Similem experta sunt sententiam D. Bernardo procurante Abailardi scripta, ut docet Gaufradius in vita Bern. lib. 3. cap. 5. *Apostolicus præsul, inquit, scripta incendio, scriptorem silentio condemnavit.* Constantinus Imperator Prophirii & Arrii libros comburendos jussit; Theodosius verò & Valentinianus Nestorii libros voluerunt sollicitè inquiri, & publicè cremari. Denique hanc habes legem contra impios libros. Novella 42. tit. 21, *Amputatio manus, qui hæc scripserint, pœna erit.* Videant ergo qui libros prohibitos nihil verentur, aut retinere, aut legere: quantâ cum cautione Ecclesia mala hinc nascentia præcavere voluit & impedire, & observent quod jussit Tridentinum statuti circa hoc decem regulis. Has consule. Hæ regulæ eò tendunt ut libri prohibiti non legantur, nisi ab his qui licentiam habuerint. Et hi libri prohibiti censeantur qui sunt vel contra fidem vel contra bonos mores: quique, vel à Concilio, vel à Papa; vel ab Ordinariis damnati sunt.

4°. A fortiori peccant quicumque habent nedum civile, sed etiam religiosum commercium cum infidelibus & hæreticis; qui

rem natura sua malam faciunt. Tales sunt qui addeunt templa infidelium v. g. Paganorum, Judæorum, mahumetanorum, eorumque ritibus initiantur, *quæ enim societas lucis ad tenebras, quæ autem conventio Christi ad Belial.* 2. ad Cor. c. 6. v. 14. Tales sunt etiam qui addeunt templa hæreticorum eorumque ritibus intersunt v. g. Recipiunt baptisma à Calvinistis, aut Lutheranis vel. cœnam cum ipsis celebrant.

CAPUT V.

De Hæresi, Schismate & Apostasiâ.

NOta. 1°. Hæreticus ab hæresi, idest electione, dictus, est ille, qui sibi eligit doctrinam singularem, à sensu Catholicæ Ecclesiæ alienam, eamque pertinaciter defendit, cap. hæresis 24. q. 3.

Nota. 2°. Schisma est baptisati discessio ab unitate Ecclesiæ retentâ Christianæ fidei professione, rejectâ verò unitate disciplinæ, ita Dominus de Marca de Concordia Sacerdotii & Imperii lib. 4. cap. 8.

Nota. 3°. Apostasia generatim est recessus ab aliquo statu sancto. Apostasia est triplex, à fide, à monachatu, ab ordine.

Apostasia à fide est cum fides Christiana deseritur, & hæc apostasia subijcitur iisdem pœnis quibus hæresis.

Apostasia à Monachatu est cum status religiosus deseritur, subijcitur excommunicationi ob habitus dimissionem.

Apostasia ab ordine est cum ordo sacer
deseritur,

deseritur, & fit reditus ad statum sæculari-
rem. Sed quia circa talem materiam sæpius
erratur ex zelo, qui non est secundum scien-
tiam, multi reputantur hæretici aut Schisma-
tici qui, tamen nec Schismatici sunt, nec hære-
tici; ideo hæc materia paulò fusius agitanda est.

§. I.

*De his quæ requiruntur, ut quis possit
dici hæreticus.*

Nota Certum esse ex Scriptura multos
vocari hæreticos qui, tamen veri sunt Ca-
tholici. Nam Paulus factus Christianus, tam-
quam hæreticus accusabatur à Judæis, ut
constat ex actis cap. 24. v. 14. *Confiteor au-
tem hoc tibi quod secundum sectam quam di-
cunt hæresim, sic deservio patri, & Deo meo,
credens omnibus quæ in lege & prophetis scrip-
ta sunt.* Ideo operæ pretium est hic statuere
quæ requirantur ut quis dicatur hæreticus.
Duo ad illud crimen incurrendum requiruntur.
1°. Pertinacia ex parte personæ. 2°. Con-
trarietas ad fidem ex parte opinionis, quæ
propugnatur. Quorum si alterum desit non
erit hæresis. Ideo fit.

I. PROPOSITIO. Ut aliquis dicatur
hæreticus, requiritur ex parte personæ, quod
sit pertinax in tuenda sententiâ quæ fidei
contradicit.

Probat. 1°. Ex Script. *Hæreticum ho-
minem post unam & secundam correctionem de-
vita, sciens quia subversus est qui hujusmodi
est ad tit. 3. v. 10.* Ergo supponit Paulus
requiri pertinaciam ut quis pro hæretico ha-
beat, cum non nisi post unam aut alte-
ram correctionem vitandum præcipiat,

2°. Ex Aug. *Qui sententiam suam quamvis falsam atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audaciâ suæ præsumptionis perceperunt, sed à seductis & in errorem lapsis parentibus acceperunt; querunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint nequaquam sunt inter hæreticos deputandi, habetur in decreto. 24. q. 3. cap. Dixit Apost. idem docet D. Thom. 2. 2. q. 11. a. 2.*

3°. Ratione. Hæreticus venit à voce Græca hæresi, quæ idem sonat ac electio cum pertinacia propugnata. Ergo ad hoc ut quis dicatur hæreticus debet esse pertinax.

Conseclaria hujus doctrine.

CONSECTARIUM. I. Attente distinguendum est inter personam & scripta. Nam persona potest esse hæretica & scripta Catholica; item scripta possunt esse hæretica & persona Catholica. Persona erit Catholica, si se humiliter Ecclesiæ subjiciat. Scripta erunt Catholica si nihil contra communem Ecclesiæ sensum contineant.

Sic persona Origenis Catholica habetur à pluribus Authoribus, quamvis multa ejus scripta sint erronea; persona est Catholica, quia humiliter censuit obediendum esse revelationi; scripta verò sunt erronea, quia multos errores continent vel, ex errore Origenis, vel ex malitiâ hæreticorum.

Sic Persona Tertulliani est hæretica, & multa ejus scripta Catholica, Persona est hæretica, quia pertinaciter Eccle-

siæ restitit lapsus in Montanismum. Scripta vero ejus quam plura sunt Catholica, quia multa solide scripsit antequam laberetur in hæresim.

CONSECTARIUM. II. Non statim habendus est, ut hæreticus author aliquis, eo quod hæreseos accusetur, sed prius attentè examinandum est, an dogmata fidei contraria pertinaciter docuerit, hoc est enim insignium virorum fatum, quod hæreseos accusentur, ut illorum persona, vel illorum libri, etsi Ecclesiæ utiles contemnantur. Sic olim Meletius accusatus est ut Sabellianus ab Arrianis. Sic Sanctus Basilius accusatus est quasi Tritæita, eo quod tres hypostases admitteret. Sic Sanctus Hyeronimus accusatus est damnare matrimonium, eo quod cœlibatum matrimonio præferret. Sic Augustino impositum est quod negaret libertatem, eo quod admitteret gratiam, vel quod damna- ret nuptias, eo quod admitteret transfusionem peccati originalis.

MONITUM. *Observandum hic.* Qui falsò accusantur, hæreseos debent statim totis viribus eniti, ut calumniam illam à se depellant; quia quilibet debet habere curam suæ famæ; *curam habe de bono homine.* Deinde hæreseos infamatus fit inutilis Ecclesiæ. Idem docet Hyeroni. *Nolo in suspitione hæreseos quemquam esse patientem, ne apud eos, qui ignorant innocentiam ejus, dissimulatio conscientie judicetur, si taceat; licet superfluum sit ejus præsentiam quærere, & extorquere silentium cujus apud te litteras teneas.* Epist. alias 61. nunc 38. ad Pammachium.

II. PROPOSITIO. Ut aliquis dicatur hæreticus, requiritur ex parte objecti, quod veritatem fidei pertinaciter impugnet. Sed illud omne & solum est de fide divinâ, quod est & divinitus revelatum & universali Ecclesiæ consensu propositum fidelibus, ut credatur.

Probat. 1°. Script. Revelatio divina requiritur juxta illud Pauli *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, sive Dei. ad Rom. 10. v. 17. Res revelata, debet nobis per Ecclesiam proponi, quia Ecclesia est custos divinæ revelationis à qua debemus eam accipere, juxta illud Pauli 1. ad Timo. cap. 3. v. 15. *Ecclesia Dei vivi est columna fidei & firmamentum veritatis*, & Magistra à quâ debemus eandem revelationem addiscere juxta illud Christi Math. 18. v. 17. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

2°. Ex Aug. cont. Epist. fund. 5. ubi dicit, *ego vero Evangelio non crederem nisi me Ecclesiæ Catholice commoveret autoritas.* Ergo Aug. supponit quod ad fidem duo requirantur, Evangelium scilicet & Ecclesiæ autoritas, idest divina revelatio ab Ecclesia proposita.

3. Ratione. Fides debet esse infallibilis cum sit nobis regula & agendorum, & credendorum. Ergo debet resolvi in solam auctoritatem divinam, quia solus Deus est infallibilis, eadem fides debet nobis oportuno aliquo medio communicari, alias Deus non sufficienter nobis provideret: Ergo debet hominibus sensibilibus proponi per Ec-

clesiam sensibilem, & ita, ut aliquid sit de fide debet esse & divinitus revelatum, & nobis per Ecclesiam propositum: ideo ait Cyrillus in suis Catechesibus. *Cath. 5. custodi fidem à sola Ecclesia tibi nunc traditam & ex omni Scriptura munitam.*

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Nihil potest esse de fide nisi contineatur vel in Scriptura vel in traditione. Quia sola Scriptura, sola traditio divina, sunt medium, continens divinam revelationem. Et ita quæ continentur in Symbolo Apostolorum, in Canonibus Conciliorum, in operibus Sanctorum Patrum, non sunt de fide, nisi quatenus vel continent vel explicant divinam revelationem, in Scriptura & traditione præcontentam.

CONSECTARIUM II. Nullæ privatae revelationes, etiamsi divinitus factæ sunt de fide, quia etsi sint infallibiles, cum supponantur procedere à Deo, non sunt tamen de fide, quia non proponuntur nobis per Ecclesiam.

CONSECTARIUM III. Nulla veritas illata ex Scriptura & traditione est de fide, si consideretur quatenus illata, quia fides est ex auditu per verbum Christi, & non ex illatione ex verbo Christi.

CONSECTARIUM IV. Nulla decretalis veniens à Summo Pontifice, sive in corpore juris Canonici contineatur, sive extra corpus juris Canonici habeatur, est de

fide : nisi aliunde accedat totius Ecclesiæ consensus ; quia etsi Romanus Pontifex sit caput Ecclesiæ , Christi Vicarius , & humiliter audiendus , cum res pertinentes ad religionem explicat , non est tamen universalis Ecclesia. Certum quippe de fide Ecclesiam universalem esse infallibilem , sed non est expressè definitum Romanum Pontificem esse infallibilem.

CONSECTARIUM. V. Nullum Concilium Diocœsanum , nullum Provinciale , nullum Concilium Nationale , nisi aliunde accedat totius Ecclesiæ consensus , *est de fide*. Quia particulare Concilium non universalem ; sed particularem solum Ecclesiam representat.

CONSECTARIUM. VI. Concilium universale legitimè congregatum & habitum , *est de fide* , in suis decisionibus ; motiva verò & rationes & argumenta quibus firmat suos Canones non sunt de fide , quia Ecclesiæ creditur docenti & definienti & non argumentanti : ea tamen ratiocinia non sunt spernenda , sed censenda sunt longe efficaciora quam ratiocinia cujuscumque privati Doctoris.

CONSECTARIUM. VII. Quæ directè & per se sunt posita in Canonibus Conciliorum universalium , explicando divinam revelationem sunt de fide : minimè vero quæ sunt apposita *vel incidenter vel per modum clausulæ* sic certum de fide non idololatricum esse usum Ecclesiæ , *pingendi Angelos* ut habetur in Nicœno 2. act. 5. Sed Ratio quæ hîc assertur , scilicet *depingi posse , quia*

sunt corporei, non est de fide, sed potius falsa cum Angeli sint spirituales.

Sic certum est in Ecclesia Romana veram esse de baptismo Doctrinam, ut dicitur in Trid. sess. 7. Can. 3. Sed clausula illa, *que omnium Ecclesiarum est mater & Magistra* est, quidem vera, sed non est de fide ex vi illius Canonis, quia ibi incidenter tantum est inserta.

CONSECTARIUM. VIII. Nihil est de fide in Canonibus Conciliorum universalium, ex vi decisionis, nisi quæ in sensu obvio exprimunt, quæ verò reticent & Theologis disputanda relinquunt, non sunt de fide.

Sic, certum de fide, ex Trid. hominem justificari *per justitiam inherentem* quia hoc dicit expressè sess. 6. c. 11. Incertum an forma justificans sit qualitas, sit habitus, quia circa hoc nihil decernit Concilium Trid.

Sic certum de fide Corpus Christi esse *vere realiter substantialiter*. sess. 13. Can. 1. In Eucharistiâ, incertum an sedens, an jaccens, quia de hoc reticet Concilium Trid.

Sic certum est animas fidelium juvari in Purgatorio per nostra suffragia, sed incertum an ignis, purgatorii sit verus proprius & ejusdem speciei cum nostro, quia circa hoc fileet Concilium.

Sic certum est Pium & utile esse Sanctos cum Christo regnantes invocare, quia hoc dicit Concilium. Sed incertum an nostras preces audiant vel eadem preces eis, vel à Deo revelentur, vel ab Angelis deferantur,

quia circa hoc reticet Concilium Trident.

Sic certum est, imagines sanctorum esse venerandas, quia hæc dicit Concilium, non utique cultu qui Deo debetur sed inferiori, sed an cultus ille veneratio solum dici debeat, & *adoratio* dici nequeat, res est Theologiæ discutienda.

Sic certum est, reliquias Sanctorum esse venerandas, quia hoc statuit Concilium; incertum vero an reliquiæ in hac Ecclesia conservatæ sint reliquiæ alicujus Sancti, an sint reliquiæ illius sancti, vel alterius, quia circa hoc omninò silet Concilium, utpote factum merè historicum, nequaquam divinitus revelatum.

CONSECTARIUM IX. Non habendum est (ut de fide) quod in una schola tenetur, aliâ scholâ docente contrarium: si Ecclesia sciens neutram partem prohibeat, quia hæc omnia inter opiniones Theologicas sunt reponenda.

Sic de fide non sunt quæ docentur à Thomistis contradicentibus Scotistis, nec ea quæ docentur à Molinistis, Thomistis contradicentibus.

§. II.

Quæ requirantur ut aliquis possit dici schismaticus.

Certum est ex script. Schisma generaliter nihil aliud esse quam dissensionem, vel in fide, vel in disciplina. Ait enim Paulus I. ad Corinth. I. v. 10. *Obsecro vos ut id ipsum dicatis omnes & non sint in vobis schismata.* & cap. II. v. 18. *Audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo: Nam oportet*

hereses esse : Idè quid requiratur ut schisma incurratur, hic determinandum est.

PROPOSITIO. I. Ut aliquis dicatur schismaticus requiritur ex parte personæ non solum quod dissentiat, vel in fide, vel in disciplina à fidelibus, sed etiam quod per rebellionem auctoritatem Ecclesiæ respuat.

Probatur. 1°. Auctoritate Pauli dicentis hæreticum & schismaticum non esse vitandum; nisi postquam frequentes admonitiones respuit.

2°. Ex Cypri. Epist. 69. *Inde enim schismata & hereses obortæ sunt & oriuntur, dum Episcopus qui unus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus indignus ab hominibus judicatur.*

3°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 39. a. 1. ad 2. *Dicendum quod non obedire præceptis, cum quadam rebellionem constituit schismatis rationem . . . Dico autem cum rebellionem, cum & pertinaciter Ecclesiæ præcepta contemnit, & iudicium ejus subire recusat. Hoc autem non facit quilibet peccator, unde non omne peccatum est schisma.*

4°. Rat. Schisma venit à voce græca *schiso*, quæ idem sonat ac violenter lacero. Ergo ut aliquis dicatur schismaticus debet violenter, & cum rebellionem unitatem Ecclesiæ scindere, & Christi tunicam inconsutilem non fortiri, sed scindere, ut ait Cyp. lib. de unitate Ecclesiæ.

Conseſtaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM. I. Attentè diſtinguendum eſt inter ſcripta & perſonam. Nec ſtatim habendus eſt ut ſchiſmaticus qui de ſchiſmate accuſatur. Eadem cautio adhibenda eſt ubi de ſchiſmate agitur quam adhibendam voluimus de hæreſi.

CONSECTARIUM II. Non omnes fideles qui diverſè circa fidem, aut mores, aut diſciplinam ſentiunt, aut ſcribunt ſunt ſchiſmatici, ſed hi ſolum qui diverſa ſentientes, Eccleſiæ authoritati renuunt ſe ſubjicere.

Sic, qui antè Eccleſiæ Decretum obſervabant Paſcha die decimâ quartâ Lunæ Martii more ab Eccleſiâ Romanâ diverſo, non erant ſchiſmatici; quia ut Irenæus ait Epil. ad Victorem teſte Eufeſ. lib. 5. Hiſtor. Eccleſ. cap. 24. hoc fiebat ſine rebellionẽ contra Eccleſiam.

Sic, qui antè univerſalis Eccleſiæ determinationem baptiſabant omnes ab hæreticis jam baptiſatos contra conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, non erant ſchiſmatici, quia in his nullus erat rebellionis animus ſed ſincera erga Eccleſiam ſubjectio. Unde licet Cyprianus & Stephanus diverſa circa hanc quæſtionem ſentirent, neuter erat ſchiſmaticus, teſte Aug. lib. 5. contra Donatiſtas cap. 25. *Sic tamen ait vicit pax Chriſti in cordibus eorum, ut nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur.*

Sic, omnes Catholici ſcriptores, licet diverſa, aut ſentiant, aut ſcribant in quæſtionibus nondum ab Eccleſia determinatis, non

consensendi sunt schismatici : modo scripta Ecclesie iudicio subiciant.

CONSECTARIUM III. Omnes baptisati qui contra universalem Ecclesie determinationem cum pertinaci rebellione, vel sentiunt, vel scribunt sunt schismatici; quia Ecclesie unitatem scindunt.

PROPOSITIO. II. Ut aliquis dicatur schismaticus, sufficit quod in rebus pertinentibus ad disciplinam ab Ecclesia pertinaciter dissentiat, & schisma illud in hæresim degenerat, si fidei dogmata impugnentur.

Probat. 1°. Ex Hyeronimo in Commentariis ad cap. 3. Epist. ad Titum. *Inter hæresim & schisma, hoc interesse arbitramur, quod hæresis perversum dogma habeat; schisma propter Episcopalem dissentionem ab Ecclesia pariter separet. Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest diversum. Caterum nullum schisma non sibi aliquam consingit hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* Et Aug. docet lib. 2. c. 7. contra Cresconium. *Inveteratum schisma esse ipsam et hæresim.* Ideo Basilius Epist. ad Amphilochium, Manicheos, Valentinos, Marcionistas, & Peputianos inter hæreticos recenset, quia de ipsa in Deum fide controversiam movent, & à cæteris Christianis dissentiunt. Novatianos autem sive Catharos schismaticis ascribit, quia de disciplina tantum cum Ecclesia contendebant; nempe an lapsi ad pœnitentiæ beneficium admittendi essent.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM. I. Schismaticus est schismate universalis, qui se ab Ecclesia in capite & in membris separat. *Schismatici dicuntur qui subesse veniunt summo Pontifici, & qui membris Ecclesie ei subjectis communicare recusant.* 2. 2. q. 39. a. 10. Quod debet intelligi in rebus pertinentibus ad religionem, minimè in his quæ pertinent ad regnum temporale.

Sic, Græci & demùm omnes qui negant Romanum Episcopum esse summum Pontificem, eique parere recusant in his quæ spectant religionem, sunt schismatici.


2°. Schismaticus est schismate particulari, qui se ab Ecclesia sua, suoque Episcopo separat & cum Fidelibus suæ Parochiæ vel Dioceseos communicare recusat in his quæ spectant religionem, ait enim Ignatius Episc. 7. ad Smyrnenses, Fideles omnes debere Episcopo tanquam Domino esse subjectos. Omnes ait Episcopum sequimini ut Christus Patrem.

Sic, schismatici sunt Laici, qui se separant à suo Parocho. Item Parochi qui se separant à suo Episcopo, & Episcopi qui se separant ab aliis Episcopis & à Papa.

3°. Schismaticus est schismate manifesto exteriori & completo, qui non venit in conventum Fidelium, & peculiarem facit ipsemet congregationem diversam à congregatione, vel suæ Parochiæ, vel suæ Dioceseos. Ita Ignatius Episc. ad Ephesios, qui igitur in Conventum non venit, hic jam superbia

perbia elatus est, & se ipsum separavit, scriptum est enim: Superbis autem Deus resistit. Studeamus igitur Episcopo non resistere, ut simus subjecti Deo.

Sic, schisma externum moliuntur qui contradicente Parocho, Episcopo dissentiente, Papá non approbante, Confraternitates erigunt, ut populum à Parochiá avertant.



TRACTATUS SECUNDUS.

De Spe.

CAPUT PRIMUM

Explicatur natura spei, simulque varie traduntur notiones ad intelligentiam hujus Tractatus necessarie.

Spes naturalis est efficax desiderium boni absentis ardui, & possibilis, cum fiducia illius assequendi.

Spes Theologica est donum Dei, quo Deum & ea que ducunt ad Deum, nobis, seu propter nos diligimus: vel spes est virtus divinitus infusa, per quam certá cum fiducia nostra salutis & eterne vite bona expectantur.

Duplex est præceptum spei, aliud affirmativum aliud negativum.

Præceptum affirmativum spei est, in Deo ejusque bonis confidere & sperare. Sperare au-

tem est boni ardui obtinendi fiduciam habere: Fiducia autem est *promptitudo voluntatis orta ex persuasione assequendi boni.*

Præceptum negativum spei est, *de Deo ejusque bonis non diffidere, vel non desperare, in creatura non confidere, de se non præsumere.*

Desperatio est boni ardui obtinendi *diffidentiam habere.* Diffidentia autem est *animi desponsio orta ex impossibilitate assequendi boni, malive vitandæ.*

Confidere in creatura est *nisi auxilio creature potiusquam creatoris.*

Præsumere est *temerè expectare salutem, & ea quæ ducunt ad salutem, innitendo nimium viribus nostris, vel inordinatè divinam misericordiam expectando.*

Objectum spei est illud omne quod attingit spes.

Objectum spei primarium est Deus, quatenus nos beatificans, & ut à nobis possidendus.

Objectum verò secundarium sunt media, quibus ducimur ad Deum.

Objectum formale spei, seu ratio, & movivum sperandi, est auxilium divinæ potestatis, quoties enim supernaturalia speramus, in divinâ virtute debemus confidere.

Spes, alia est actualis, alia habitualis.

Spes habitualis est habitus inclinans ad sperandum.

Spes actualis est actuale exercitium spei. Actuale autem exercitium spei, est aliquando actus elicitus, aliquando actus imperatus.

Actus elicitus spei, est ille qui elicitur à solo habitu spei. Talis est actus per quem

spēramus salutem, & ea quæ ducunt ad salutem.

Actus spei sunt in Deo sperare & confidere, de Deo numquàm desperare, in creatura non confidere, de se non præsumere.

Actus spei *imperatus*, est ille qui fit à virtute diversâ ab habitu spei. Talis est actus, quo moti per spem exercemus virtutes morales.

CAPUT II.

De objecto Spei seu de rebus à quolibet fidei sperandis.

PROPOSITIO Unica. Omnes & singuli fideles tenentur omnes & singulas orationis dominicæ petitiones scire, saltem quoad substantiam, & proindè bona quæ his petitionibus continentur petere & sperare.

Probatur. 1°. Ex praxi Ecclesiæ, quæ teste Aug. serm. 56. 57. 58. Omnibus Catechumenis adultis tradebat orationem Dominicam, unâ cum Symbolo Apostolorum. Quæ oratio post octo dies à competentibus recitabatur; Ut Christiani antè baptismi receptionem nossent non solum quid credere, sed quid sperare deberent: ergo sicuti fideles tenentur credere ea quæ sunt in Symbolo; ita & sperare quæ continentur in oratione Dominica

2°. Ex Patribus. *Oratio dominica est totius legis Evangelicæ compendium* Ita Cypria. de oratione Dom. *Est forma desideriorum; ita ut non liceat petere aliud, quàm quod ibi scriptum*

est. Ita Aug. serm. 56. Ergo quilibet fidelis tenetur scire orationem Dominicam.

3°. Ex Conciliis Provin. Concilium Remense an. 873. can. II. *Nulli Christiano orationem dominicam ignorare licet, ex Capitularibus cap. 170. libr. 5. Presbyteris providendum est, ut omnes, qui Christiano nomine censentur, orationem dominicam & Symbolum memoriter teneant & intelligant, ex Carolo Borro. in Actibus Eccles. Mediol. Non licet absolvere ignorantes orationem dominicam.* Ergo sicuti tenemur credere quæ sunt in Symbolo: ita & sperare quæ sunt in oratione Dominica.

4°. Ratione. Sicuti Symbolum Apostolorum est norma fidei, ita oratio Dominica est norma spei nostræ, ut docet Aug. Enchyridion cap. II4. *Ea tantum ad spem pertinent, quæ in oratione Dominica continentur.* Ergo sicuti quilibet fidelis tenetur credere quæ sunt in Symbolo, quia est norma fidei; ita & petere & sperare quæ sunt in oratione Dominica, quia est norma spei nostræ.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Petenda & speranda sunt à Deo ea omnia quæ hic subjiciuntur.

CONSECTARIUM. I. Omnia bona, tum spiritualia, tum temporalia speranda sunt à solo Deo: est enim Deus is à quo bona cuncta procedunt, juxta illud, *Omne datum optimum & omne bonum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.* Ep. Jac. c. I. v. 17.

● CONSECTARIUM. II. Bona spiritua-

lia, scilicet gratia & gloria absolutè & sine conditione, & speranda, & petenda sunt à Deo, quia ut ait D. Thom. *Res sunt quibus malè uti non possumus & quæ malum eventum habere non possunt*: Ideo absolutè sunt petenda. Gloriam absolutè petimus, his verbis, *ostende nobis faciem & salvî erimus*. Gratiam pariter sine conditione petimus his verbis: *Deduc me in semitam mandatorum tuorum*. Psal. 118. v. 35.

CONSECTARIUM III. Bona temporalia, honores scilicet, divitiæ, sanitas corporalis, petenda sunt conditionatè; scilicet si ad gloriam Dei & salutem nostram conducant, quia, ut ait D. Thom. sunt res quibus malè uti possumus, *pro hoc licet orare quod licet desiderare*, inquit idem Doctor, *temporalia autem licet desiderare, non quidem principaliter, ut in eis finem constituamus; sed sicut quædam adminicula, quibus adjuvamus ad tendendum ad beatitudinem in quantum scilicet per ea vita corporalis sustentatur, & in quantum nobis organicè deserviunt ad actus virtutum*. 2. 2. q. 83. a. 6.

CONSECTARIUM IV. Demùm determinatè debemus, & petere, & sperare quidquid in oratione dominica continetur; in ea enim explicatur quidquid nos desiderare, petere, & sperare oporteat.

In omni quippe proposito, tria spectare possumus, primò finem, secundò media ad finem, tertio remotionem impedimentorum quæ nos ab intento fine possunt retrahere. Hæc omnia ad salutem necessariâ mira connexionè conclusit Christus in oratione sua.

1°. Ultimus finis est & gloria Dei in se, & gloria Dei nobis communicata. Petimus gloriam Dei in se, dum dicimus; *sanctificetur nomen tuum*. Petimus gloriam Dei nobis communicari, dum dicimus, *adveniat regnum tuum*.

2°. Media conducentia ad salutem sunt observantia mandatorum, & gratia quâ fit ut observemus mandata. Petimus observantiam divinæ legis, dum dicimus, *fiat voluntas tua sicut in caelo & in terrâ*. Petimus gratiam quâ divinam legem impleamus, dum dicimus; *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; quippe sicuti per panem naturalem significamus quidquid ad vitam corporalem conducit; ita, optando panem spiritualem, optamus quidquid ad vitam supernaturalem spectat, scilicet gratiam, Sacramenta &c.

3°. Impedimenta salutis sunt peccata commissa, tentationes inclinantes ad peccandum, diabolus continuò nobis insidians petimus peccata commissa remitti, dum dicimus; *dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Petimus nos nullis tentationibus superari, his verbis, *& ne nos inducas in tentationem*. Petimus tandem à diabolo, ab inferno, à peccato liberari, dum dicimus. *Sed libera nos malo*.

CAPUT III.

De Actibus Spei.

PROPOSITIO Unica. Spes habitualis non sufficit adulto ad salutem; sed tene-

mur aliquando, vel per se, vel per accidens elicere actum spei, confidentes in Deo, & de nobis diffidentes: per se quidem, quando obligatio oritur ex ipsa spe; per accidens, quando obligatio oritur ex aliâ virtute.

1°. Probatur Scripturâ. *Spera in Domino & fac bonitatem* Psal 36. v. 3. *Perfectè sperate in eam quæ vobis offertur gratiam.* 1. Petr. 1. v. 13. quæ verba denotant operationem, & proinde actum spei esse necessarium, & solum habitum non sufficere ad salutem.

2°. Ex Aug. *De fide, quàm multa mandata sunt, quàm multa de spe?* Tractatus 83. in Joan.

3°. Ratione. Homini ad finem supernaturalem destinato imponitur præceptum fidei, quâ credat sibi esse promissam beatitudinem supernaturalem; ita & ei imponitur præceptum spei, quâ in illam tendat beatitudinem. Ergo uti beatitudinem supernaturalem credere nequit, nisi per actum supernaturalem fidei; ita nec eam sperare nisi per actum supernaturalem spei. Præcepta enim dantur de actibus, ut supra diximus ex D. Thom. Rursus, spes est virtus Theologica; virtus autem est propter operationem; ergo spes non potest esse semper sterilis; sed debet in actum aliquem erumpere. Ideo Sancti actus spei esse ad salutem necessarios passim confitentur, *spe salvi facti sumus.* Ad Rom. 8. v. 24. *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus, animæ tutam ac firmam.* Ad Hæbr. 6. v. 19. *Ut piè & justè vivamus in hoc*

seculo expectantes beatam spem. Ad Titum 2. v. 13. De impio verò non sperante dicitur quòd nec speravit in Domino propter quòd interfecit eum. Paralipon. 10. v. 14.

Consectaria hujus Doctrinae.

COMSECTARIUM. I. Peccat, qui affectus usum rationis, non elicit actum spei; tunc enim Deus ei proponitur ut finis ultimus, ut diximus supra ex D. Thom.

CONSECTARIUM. II. Peccat quilibet homo, sive baptisatus, sive non baptisatus, qui sufficienter instructus circa objectum spei, nimirum circa salutem & media ad salutem conducentia, ea aut parvi ducit, aut in his non sperat; tunc enim omisio actus spei est contempus interpretativus nostrae beatitudinis.

CONSECTARIUM. III. Peccat, qui non elicit actum spei, cum urget gravis tentatio desperationis, vel circa gratiam non dandam à Deo, vel circa beatitudinem nunquam obtinendam, vel de falsâ persuasione, quod sit de numero reproborum &c. Quippe tunc tentatio debet vinci per actum oppositum; tunc enim has & similes preces debemus effundere: *in Domino sperans non infirmabor. Domine Deus meus in te speravi. Mibi adherere Deo bonum est, & ponere in Domino spem meam.*

CONSECTARIUM. IV. Peccat qui non elicit actum spei, quando urget gravis aliqua tentatio, licet non sit contra spem, cui nè consentiat evidens est pericu-

lum, nisi eliciatur actus spei ad illam superandam necessarius; non enim fas est rejicere medium ad vincendam tentationem necessarium: sed tunc oportet ut ad spem promptè recurramus, sicut ad anchoram tutam, ac firmam, dicentes cum Davide: *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo.* Psal. 26. v. 3.

CONSECTARIUM. V. Peccat qui non elicit actum spei, cum tenetur elicere actum virtutis, ad quam requiritur spes, vel explicita, vel implicita v. g. cum tenetur justificari, cum tenetur elicere actum contritionis, vel attritionis, orationis &c. Quia ad hæc omnia prærequiritur spes vel formalis, vel virtualis, ut innuit Trid sess. 6. c. 6. *In spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incitantur.* De hac dispositione scriptum est: *accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Heb. c. 11. v. 6. *Et confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Math. 9. v. 2.

CONSECTARIUM. VI. Peccat adultus, qui non elicit actum spei, quoties vel ex necessitate, vel ex devotione recipit aliquod Sacramentum; quia sicuti accedentes ad Sacramenta, debemus credere gratiam conferri per Sacramenta; ita & eandem gratiam sperare.

CONSECTARIUM. VII. Peccat qui non elicit actum spei in mortis articulo; quia tunc maximè urgent tentationes dia-

58 MORALIS CHRISTIANA.
boli ; & quia tunc præstat maximè Deo
nos conjungi.

CAPUT IV.

De Actibus Spei contrariis.

PROPOSITIO Unica. Peccant graviter, quicumque eliciunt actus spei contrarios, desperando de Deo, præsumendo de se, & in creatura magis quàm in Deo confidendo, & iisdem peccatis se exponendo,

Probatur 1°. Scripturâ. De diffidentia erga Deum, sic loquitur Paulus: *spiritus malus qui nunc operatur in filios diffidentiae.* Eph. 2. v. 2. De præsumptione, sic loquitur Sapiens proverb. 28. v. 26. *Qui confidit in corde suo, stultus est.* Et Paulus Gal. 6. v. 3. *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* De nimia fiducia in creatura sic loquitur Aggæi 48. v. 7. *Pro eo enim quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, & in thesauris tuis, tu quoque capieris.*

2°. Ratione. Omnes prædicti actus repugnant virtuti Theologicæ, nimirum spei; ergo sunt peccata ex suo genere mortalia.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM. I. Desperant hi omnes, quos hîc subjicio.

1°. Qui comparantes supremam beatitudinem cum vilitate naturæ humanæ, non audent beatitudinem supernaturalem spera-

re, contra quos facit illud Scripturæ, Genes. c. 15. v. 1. *Ero merces tua magna nimis. Si Deus hoc nobis promiserit, non est quod de tam fideli promissore diffidamus.*

2°. Qui attentâ peccatorum multitudine non audent veniam peccatorum suorum sperare, contra quos faciunt verba illa prophetæ. Ezechiel. 33. v. 11. *Nolo moriem impii, sed ut convertatur impius à via sua & vivat: si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & justitiam, vita vivet & non morietur.* Ezechiel. 18. v. 21. Contra eosdem faciunt detestanda exempla Cæini, Saulis, & Judæ Iscariotis, qui, juxta patres, enormiùs peccarunt desperando, quàm committendo peccata, ob quorum fœditatem lapsi sunt in desperationem. *Pro clementia Domini hoc dico, inquit Hiero. in Psal. 108. Quia magis ex hoc offendit Judas Dominum, quia se suspendit, quàm quòd Dominum prodidit.*

3°. Qui animo despondentes, viam salutis asperam reputantes, se in omni vitiorum cœno volutant, qui sic apud Jeremiam 18. v. 12. loquuntur: *desperavimus, post cogitationes nostras ibimus, unusquisque juxta pravitatem cordis sui malis faciemus.* De quibus pariter sic loquitur Paulus: *desperantes tradiderunt semetipsos impudiciæ, in operationem immunditiæ omnis,* Eph. 4. v. 19.

4°. Qui animo despondentes, vel viam salutis non audent ingredi, vel ingressi retrò abeunt, desperantes se posse in Domino perseverare; contra quos sic loquitur,

Isai. c. 40. v. 31. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquila, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.*

5°. Qui diffidentes, ab oratione desistunt; eo quod differat Deus concedere, quod postulant, contra quos facit exemplum Abrahamæ: *qui in spem contra spem credidit*, ad Rom. c. 4. v. 18. *Et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem.* Hebr. c. 6. v. 15. Contra eosdem facit exemplum Christi, qui aded perseveranter orabat, ut pernoctaret in oratione, & morti proximus, in terram profertus, *eiusdem sermonem dicens*, oraverit.

6°. Hi omnes, qui investigabilia prædestinationis arcana scrutari & penetrare tentant, & ejus immobilitate territi, omnem salutis spem abjiciunt, contra quos illud facit Eccl. 3. v. 22. *Altiora te ne quesieris; & fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus; non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.*

CONSECTARIUM. II. De se præsumunt hi quos hic subjicio.

1°. Qui tendunt in aliquod bonum ut possibile per potentiam divinam, quod tamen non est possibile; *sicut cum aliquis sperat se veniam obtinere sine pœnitentiâ, & gloriam sine meritis, hæc autem præsumptio*, juxta D. Thom. 2. 2. q. 21. a. 1. *Est propriè species peccati in Spiritum Sanctum.* Contra hos facit illud Scripturæ: *ne dicas, miseratio Domini magna, multitudinis peccatorum meorum miserebitur;*

miserabitur; misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. Ecclesiast. 1. v. 6.

2°. Qui volunt quidem converti, sed de die in diem differunt; contra quos facit illud Scripturæ: *non tardes converti ad Dominum, ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Ecclesiast. 15. v. 8.*

3°. Qui crimina sua non abjiciunt, & media ad gratiam consequendam, qualia sunt Sacramenta, & bona opera aspernantur; contra quos facit illud Pauli; *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis, ad Rom. 2. v. 4.*

CONSECTARIUM. II. In creatura magis quam in Deo confidunt hi, quos hîc subijcio.

1°. Qui confidunt in amicis, magis quam in Deo; contra quos est illud Jeremiæ 17. v. 5. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus; & Isai. 36. v. 6. Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum; cui si innixus fuerit homo intrabit in manus ejus, & perforabit eam: sic Pharaon Rex Ægypti omnibus qui confidunt in eo.*

2°. Qui confidunt in divitiis suis; contra quos sic loquitur Paulus 1. Tim. 6. v. 17. *Divitibus hujus sæculi præcipe; non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum; sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum. Et Amos. 6. v. 1. Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in mon-*

te *Samarie*. Hoc vitium ita detestatur Job. 31. v. 24. *Si putavi aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea. Si letatus sum super multis divitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.*

3°. Qui studendo magis confidunt in proprii ingenii viribus, quam in Deo, qui docet hominem scientiam. Psal. 93. v. 10. Et quia scientiarum est Dominus. Psal. 93. v. 12. Quippe beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Et rursus nar-
raverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex ista. Psal. 118. v. 85.


4°. Qui in negotio salutis superbè putant se aliquid posse sine gratia, contra quos est illud Christi: *sine me nihil potestis facere*. Joan. 15. v. 5. Et David: *nisi Dominus edificaverit domum, in vanum laboraverunt qui edificant eam*. Psal. 126. v. 1.

CONSECTARIUM. IV. Qui hinc sub-
jiciuntur exponunt se periculo vel desperandi de Deo, vel temerè de se præsumendi, & confidendi magis in creaturis quam in Deo.

1°. Qui magis inhærent terrenis quam cœlestibus; qui ita comparati sunt ut desiderarent perpetuè in hac vita degere, & cœlo renuntiarent, si terrenis frui semper liceret, quos frequenter deceret in hanc Ecclesiæ orationem erumpere: *fac, ut sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Da ut per mundanas varietates, ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.*

2°, Qui luxuriæ inhærent; proprium quip-

pe est luxuriæ, animum à divinis avocare, & ad desperationem adigere; quia, ut ait D. Thom. 2. 2. q. 153. a. 5. in corp. *Dum aliquis nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat pervenire ad spirituales, sed fastidit.*



TRACTATUS TERTIUS.

De Charitate.

TRactatus iste, quoniam longiorem postulat explicationem, methodi causâ in quatuor partes dividetur. *In primâ, Agetur de charitate generatim. In secundâ, De charitate erga Deum. In tertiâ, De charitate erga nos. In quartâ, De charitate erga proximum.*

PARS PRIMA.

De Charitate generatim.

CAPUT PRIMUM.

Explicatur natura charitatis, simulque traduntur notiones variæ ad intelligentiam hujus tractatus necessariæ.

Charitas juxtâ omnes nihil aliud est, quàm amor seu dilectio; amor autem est boni volitio, & ita *amare est velle bonum.*

Amor est triplex, complacentiæ, benevolentiae & concupiscentiæ.

Amor complacentiæ est volitio boni in se, quod per se & non alterius causâ appetitur.

Amor concupiscentiæ est volitio boni in commodum amantis.

Amor benevolentiae est volitio boni in commodum amati redamantis.

Charitas supernaturalis est donum Dei; quo Deum tanquam ultimum finem diligimus, non propter nos; sed propter ipsum Deum, vel charitas est virtus divinitus infusa, quâ Deus propter se diligitur, & creatura se ipsam & proximum diligit propter Deum.

Deus est supremum ens, à quo omnia emanant.

Proximus est quævis persona intellectualis æternæ beatitudinis capax, vel particeps; & ita quilibet homo, quilibet Angelus, modò non sit actualiter damnatus, debet à nobis ut proximus haberi.

Præceptum charitatis est duplex, affirmativum & negativum.

Præceptum charitatis, quatenùs affirmativum, præcipit ut diligamus Deum super omnia, seu tanquam ultimum finem; Quia ultimus finis est omnibus præferendus; dilectio autem nostra erga Deum est actus, quo voluntas complacet sibi in summo bono quod habet Deus.

Præceptum charitatis erga Deum, quatenùs negativum, prohibet, nè Deum aliquando odio habeamus.

Actus charitatis erga Deum est dilectio Dei super omnia, per quem actum voluntas

TRACT. III. DE CHARITATE. 65
complacet sibi in summo bono, quod Deus possidet.

Actus charitati erga Deum oppositus, est odium Dei; odium autem Dei est actus, quo voluntas creata displicet sibi ob summum bonum, quod habet Deus.

Præceptum charitatis erga nos & proximum, quatenus affirmativum, præcipit, ut cum debito ordine diligamus, & nos, & proximum in ordine ad Deum, id est, ut nobis & proximo velimus beatitudinem, & hoc propter Dei gloriam.

Præceptum charitatis erga nos & proximum, quatenus negativum, prohibet, ne neglecto ordine, nos, vel proximum odio habeamus in ordine ad Deum, id est, ne à nobis vel à proximo beatitudinem amoveamus, & hoc propter gloriam Dei.

Objectum charitatis est illud omne quod charitas attingit.

Objectum primarium est Deus, secundarium nos ipsi & proximus.

Objectum formale, seu ratio & motivum diligendi Deum & creaturas, est essentialis & infinita Dei bonitas; quia per charitatem omnia diligimus propter Deum.

Charitas alia est actualis, alia habitualis.

Charitas actualis est actuale exercitium charitatis habitualis.

Charitas habitualis est habitus inclinans nos ad amandum Deum propter se, nos vero & proximum propter Deum.

Actuale exercitium charitatis est aliquando actus elicitus, aliquando actus imperatus.

Actus elicitus à charitate est actus ille, qui

66 MORALIS CHRISTIANA
fit à sola charitate, talis est actio, quâ Deo,
nobis & proximo bonum volumus.

Actus imperatus est actus ille, qui fit à
virtute distinctâ à charitate, sed ex impe-
rio & motivo charitatis. Talis est actus fi-
dei, spei, justitiæ, productus ex motivo
charitatis.

CAPUT II.

*De objecto charitatis, seu de his quæ à nobis
amore charitatis diligenda sunt.*

PROPOSITIO unica. Objectum charita-
tis his tribus continetur, Deo scilicet,
nobis ipsis & proximo, seu reliquis omni-
bus creaturis rationalibus, & beatitudinis
capacibus.

Prob. 1.^o. Script. *Diliges Dominum Deum tuum
ex toto corde tuo . . . Proximum tuum tamquam
te ipsum*: Ergo non alia charitatis amore dili-
genda sunt quàm Deus, nos ipsi & proximus,
in his enim duobus præceptis, ut ait Christus,
universa lex pendet & Prophetæ Marc. 12. v. 30.

2.^o. Ex Aug. lib. de Doct. Chris. cap. 26.
*Finis itaque præcepti est dilectio, & ea gemi-
na, & Dei, & proximi; quod si te totum
intelligis, id est animam & corpus tuum,
& proximum tuum, id est animam & corpus
ejus, homo enim ex anima constat & corpore,
nullum rerum diligendarum genus in his duo-
bus præceptis prætermisum est.* Ergo triplex
est objectum charitatis, scilicet Deus, nos
ipsi & proximus.

3.^o. Ex Div. Thom. 2. 2. q. 25. a. 12. in

corp. ubi post Aug. sic loquitur. *Quatuor sunt diligenda, unum quod est supra nos, nempe Deus; alterum quod nos sumus, nempe natura rationalis; tertium quod juxta nos est, nempe proximus; quartum quod infra nos est, nempe corpus nostrum, & corpus proximi.*

4°. Ratione. Ea tantum per charitatem diligenda sunt *quæ nata sunt habere bonum vite æternæ*, ut loquitur D. Thom. 1. 2. q. 25. a. 3. ad. 3. seu quibus competit beatitudo; charitas enim nihil aliud est quàm amor summi boni, quatenus nobis & aliis communicari potest.

Atqui Deo tantum, nobis ipsis & proximo competit beatitudo; Deo quidem qui beatificat; nobis verò & proximo qui beatitudinis capaces sumus; ergo Deus, nos ipsi & proximus, tria hæc, & non alia, per charitatem amanda sunt.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM. I. Angeli sancti à nobis ex charitate diligendi sunt; primò enim beatitudine fruuntur & ad eorum societatem divinam misericordiam destinati sumus; deinde Angelos sanctos non minus esse proximum nostrum quàm ipsi homines, docet Aug. cum juxta ejus doctrinam, proximi nomine non is tantum intelligendus sit cui possumus exhibere officium misericordiam; sed etiam ille à quo misericordiam officium recipere possumus, uti probat Aug. exemplo Samaritani lib. 1. de Doct. Chr. cap. 30. ubi deinde sic habet. *Jam verò, si vel cui præ-*

bendum est, vel à quo nobis præbendum est officium misericordiæ, rectè proximus dicitur, manifestum est hoc præcepto quo jubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri; à quibus tanta nobis misericordiæ impenduntur officia, quanta multis divinarum scripturarum locis animadvertere facile est.

CONSECTARIUM. II. Non solum ex charitate diligenda est anima nostra & proximi; sed etiam corpus nostrum & proximi; corpus enim nostrum & proximi, sicuti in hac vita in societatem venit metiti; ita & in societatem mercedis admittendum est in aliâ. Unde Aug. lib. 7. de civi. Dei. cap. 22. *Corpus, inquit, nostrum, quia quodammodò particeps est beatitudinis potest dilectione charitatis amari; Non diligimus autem corpus per charitatem ex eodem Aug. nisi quatenus ejus concupiscentiis resistimus, illudque facimus spiritui subjugatum. lib. 1. de Doct. Christ. cap. 34. ubi sic concludit. Quia enim hoc erit post resurrectionem, ut corpus omnimodò cum quiete summâ spiritui subditum immortaliter vigeat; hoc etiam in hac vita meditandum est, ut consuetudo carnalis mutetur in meliùs, nec inordinatis motibus resistat spiritui.*

CONSECTARIUM. III. Nec dæmones, nec animæ damnatæ possunt à nobis ex charitate diligi; quia his beatitudinem optare non licet; undè D. Th. 2.2. q. 25. a. 11. *Illud autem, inquit, bonum vitæ æternæ quod respicit charitas, spiritibus illis à Deo æternaliter damnatis ex charitate velle non possumus; hoc enim repugnat charitati Dei, per quam ejus justitiam approbamus.*

CONSECTARIUM IV. Creaturæ omnes corporeæ à nostro & proximi corpore diversæ, à nobis ex charitate diligere non possunt. Ita D. Thom. 2. 2. q. 25. a. 3. ubi sic loquitur: *charitas fundatur super communicatione eterne beatitudinis, cujus creatura irrationalis capax non est: undè amicitia charitatis non potest haberi ad creaturam irrationalem.*

Non tamen hujusmodi creaturas corporeas odisse debemus, cum sint Dei opus, eisque uti nobis necesse sit.

CAPUT III.

De ordine charitatis, seu quis ordo servandus sit inter objecta charitatis.

PROPOSITIO unica. Charitas debet esse benè ordinata, id est, debemus debito ordine, & Deum, & nos, & proximos diligere.

Probatur. 1°. Script. *Ordinavit in me charitatem.* Cant. 2. v. 4. eo textu utitur Aug. lib. 1. cap. 27. de Doct. Chris. ubi sic habet: *Ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet: nè aut diligit quod non est diligendum, aut non diligit quod est diligendum, aut amplius diligit quod minus est diligendum, &c.*

2°. Ex Hierony. *Naturæ quoque super hoc probatur affectus, ut ordine charitatis... Post rerum parentem Deum, carnis quoque pater diligatur, & mater, filius & filia, frater, & soror, in Ezech. cap. 44.*

3°. Ratione. Charitas à Deo est; quæ autem sunt à Deo; benè ordinatæ sunt, ad Rom. cap.

13. v. 1. ac proinde charitas ita debet esse ordinata ut excellentiores aliis præferamus, & magis egentes minus egentibus præponamus, ut monet Bernar. serm. 50. *Vera in hoc charitas est, ut qui indigent amplius, accipiant prius: & rursus in eo clara apparet veritas, si ordinem tenemus affectu, quem illa ratione.*

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM. I. Si habeatur comparatio inter creaturam & Deum, Deus est præ omnibus diligendus; quia cum sit supremum bonum, debet omnibus præferri. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me non est me dignus*, ait Christus Math. 10. v. 37. & rursus: *Si quis non odit, idest dilectionis affectu mihi anteposit: Patrem suum & matrem... Adhuc autem & animam suam, idest se ipsum, non potest meus esse Discipulus.* Luc. 14. v. 26. ideo dicit Paulus ad Philip. 3. v. 8. *propterquem, Christum scilicet, omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucri faciam.*

CONSECTARIUM. II. Si habeatur comparatio inter nos & proximum, debemus diligere. 1°. Animam seu salutem nostram, deinde animam proximi. 2°. Vitam nostram naturalem, postea vitam naturalem proximi, deinde bona nostra temporalia, postea verò bona temporalia proximi, & hæc omnia in ordine ad salutem. Quia optimus ordo exigit, ut nobiliora ignobilioribus præferamus. Prædictum autem ordinem docet Aug. lib. 1. de Doct. Christ. cap. 27. *Omnis homo in*

quantum homo est diligendus propter Deum; Deus verò propter se ipsum, & si Deus amplius omni homine diligendus est, amplius quisque debet diligere Deum, quàm se ipsum; item amplius alius homo diligendus est quàm corpus nostrum, quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus, quia corpus per animam vivit, quâ fruimur Deo.

CONSECTARIUM. III. Si fiat comparatio inter consanguineos, debemus. 1°. Patrem diligere, deindè matrem. 2°. Uxorem. 3°. Liberos. 4°. Propinquos, præferendo semper propinquiores remotioribus; quia ita exigit ordo charitatis; pater enim habet rationem principii activi; mater rationem principii passivi aut saltem minus præcipui; uxor habet rationem partis, & filii rationem effectus. Ita Divus Thom.

CONSECTARIUM. IV. Si fiat comparatio inter extraneos. 1°. Concives. 2°. Comprovinciales. 3°. Extraneos debemus diligere, quia ita postulat ordo charitatis, omnes autem, inquit Aug. lib. I. de Doct. Christ. cap. 28. *Æquò diligendi sunt; sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum, & temporum vel quarumlibet rerum oportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur.*

CONSECTARIUM. V. Si habeatur ratio diverse religionis, Catholicos antè Christianos, Christianos antè infideles, debemus diligere, quia id postulat rectus ordo charitatis. Catholici enim nobis magis uniuntur

quàm Christiani tantùm , & Christiani magis quàm infideles.

CONSECTARIUM VI. Si habeatur ratio pietatis , pios magis quàm impios debemus diligere , si modò cætera sint paria , quia ita exigit ordo charitatis. *Multò sanctiori magis indigentiam patienti , & magis utili ad commune bonum est magis eleemosina danda , quàm personæ propinquiore , maxime si non sit multum conjuncta , cujus cura specialis nobis non imminet , & si magnam necessitatem non patiatur.* 2. 2. q. 32. a. 9.

PARS SECUNDA.

De charitate erga Deum.

Quæ de charitate erga Deum dicturi sumus , ad duo capita revocabimus. *In primò ostendemus ad quid obliget charitas erga Deum. In secundò quæ vitia divinæ charitati sint opposita explicabimus , sed priùs observa charitatem , prout Deum respicit , duplicem esse , affectivam & effectivam.*

Affectiva charitas est motus , quo mens nostra divinas perfectiones , vel admiratur , vel in ipsis sibi complacet , hisque frui desiderat.

Effectiva charitas est motus quo anima ita erga Deum afficitur , ut in omnibus ejus gloriam quærat.

CAPUT I.

Ad quid obliget charitas erga Deum.

PROPOSITIO. I. Non sufficit ad salutem, ut Christianus adultus habeat charitatem habituales; sed insuper, necessarium est, ut frequenter eliciat actus charitatis erga Deum.

Probat. 1°. Script. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, in tota anima tua, & in tota mente tua Hoc est maximum & primum mandatum.* Math. 22. v. 37. Ergo si alia præcepta in sui observantia exigant actum specialem, à fortiori primum & maximum mandatum.

2°. Ex Aug. lib. 2. Doctr. Christ. cap. 10. *Charitatem voco motum animi, ad fruendum Deo propter ipsum.* Motus autem actum significat ergo, &c.

3°. Ex multiplici principio desumpto ex D. Thom. 1. Præceptum dilectionis Dei, est præceptum juris naturalis; ergo exigit ad sui observantiam actum aliquem positivum, cum præcepta naturalia vix observentur sine actu positivo. 2. 2. q. 147. a. 4. 2°. Præceptum dilectionis est omnium mandatorum maximum ut probat D. Thom. 2. 2. q. 44. a. 1. & quia ad illud præceptum omnia alia referuntur, juxta illud *finis præcepti est charitas.* ergo nequit observari sine actu positivo, quia præceptum maximum exigit actum, si minora præcepta sine actibus observari non possint.

3°. Præceptum dilectionis est præceptum speciale, ut probat D. Thom. 2. 2. q. 44. a. 1. ergo exigit actum specialem

G

4°. Ex Clero Gallicano à quo an. 1700. sequentes propositiones damnatae sunt, art. 4.

Sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vite suae moralis.

An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

Præceptum amoris Dei per se tantum obligat in articulo mortis.

Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

Præceptum affirmativum amoris Dei & proximi non est speciale; sed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisfit.

Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possimus.

5°. Ratione desumpta ex D. Thom. Præcepta legis, quæ homo tenetur implere, dantur de actibus virtutum, qui sunt via perveniendi ad salutem: Atqui charitas est via perveniendi ad salutem; quia ille, qui non diligit, manet in morte: Ergo actus charitatis præcipitur aliquandò, & non solum habitus charitatis.

6°. Homo adultus non potest salvari, nisi actus religionis exercent, juxta illud Math. 4. v. 10. *Adorabis Dominum Deum tuum, & illi soli servies*: Ergo debet actus amoris erga Deum elicere, juxta illud Aug. Epist. 120. ad Honor. c. 18. *Pietas cultus Dei est: nec colitur ille nisi amando. Finis præcepti ei*

charitas de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. Tim. I. c. I. v. 5. Charitas quippe facit per seipsam immediatè, ut Deo tamquam ultimo fini inhæreamus, facit per alias virtutes, quod eligamus media necessaria ad consequendum finem illum; & ita dat nobis cor purum à terrenis, conscientiam bonam in omnibus, & fidem non fictam in divino cultu.

7°. Denique. Nihil magis necessarium, nihil magis justum, quàm actualis amor erga Deum: *Justum est*, inquit author. serm. de Baptif. Chris. inter Cypriani opera. *Domine, ut diligamus te, quia & tu nos diligis... Hoc natura, hoc ratio, hoc Domine, clamat verbi tui authoritas*, & Aug. ait. *Non præcipit scriptura nisi charitatem, nec culpât nisi cupiditatem.*

Conseñtaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM. I. Peccat quilibet homo adultus, sive baptizatus, sive non baptizatus, qui assecutus annos discretionis, non elicit actum amoris erga Deum; ita D. Tho. I. 2. q. 89. a. 6. ad 3. in corp. *Cum verò usum rationis habere puer inceperit, non omninò excusatur à culpâ venialis & mortalis peccati. Sed primum quod tunc homini cogitandum occurrit, est deliberare de se ipso, & siquidem se ipsum ordinaverit ad debitum finem per gratiam, consequitur remissionem originalis peccati: si verò non ordinet seipsum ad debitum finem, secundum quod in illa ætate est capax discretionis, peccabit mortaliter non faciens quod in se est.*

CONSECTARIUM. II. Peccat quilibet homo, five baptizatus, five non baptizatus, qui instructus de beneficiis à Deo tam copiosè acceptis, non redamat Deum tam beneficum. Unde Aug. lib. 4. Conf. c. 9. *Hoc est quod diligitur in amicis, & sic diligitur, ut rea sibi sit humana conscientia, si non amaverit redamantem, aut si amantem non redamaverit.* Ideo Josue 13. v. II. post enumerata beneficia, quæ Judæi à Deo acceperunt, sic compellat Judæos: *Hoc tantum diligentissimè præcaveate, ut diligatis Dominum Deum vestrum, & David ait: Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.* Ps. 102. v. 2.

CONSECTARIUM. III. Peccat quilibet homo, seu baptizatus, seu non baptizatus, si sit sufficienter instructus, qui tentatus odio contra Deum, actum amoris erga Deum non eliceret; quia ut plurimum hæc tentatio non vinci potest nisi per actum contrarium. Dicendum est igitur cum D. Paulo ad Rom. 8. v. 3. *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Dicendum est cum Davide: *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum & liberator meus.* Psal. 17. v. 2.

CONSECTARIUM. IV. Peccat homo, qui in reliquis gravibus tentationibus, quæ nequeunt vinci, nisi per actum amoris, nullum actum amoris eliceret; quia tunc neces-

farius est, ut supponitur, actus amoris; tunc enim dicendum est cum Paulo: ad Rom. 8. v. 38. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Jesu domino nostro* Vel cum Davide: *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus.* Ps. 114. v. 104.

CONSECTARIUM. V. Peccant Christiani, qui lapsi in peccatum mortale, nec possunt Sacramenta, quibus justificentur, recipere; peccant, inquam, si urgente conversionis præcepto non eliciunt actum charitatis; quia peccator extra Sacramentum non potest sine actu Charitatis justificari ut enim ait Aug. serm. olim. 3. de verbis Apost. nunc in apendice 117. *Pœnitentiam certant non facit, nisi odium peccati & amor Dei.* Unde Scripturæ remissionem peccatorum actuali charitati tribuunt, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, ait Christus de Magdalena pœnitente. Luc 7. v. 47. Et Petrus 1. cap. 4. v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

CONSECTARIUM. VI. Peccant qui, vel ad baptismum, vel ad pœnitentiam accedunt: qui nullum amoris actum elicere satagunt; cum ex Trid. sess. 6. cap. 6. Necessè sit in utroque Sacramento, ut præter fidei & spei actus, pœnitentes *incipiant diligere Deum tamquam totius justitiæ fontem*, uti explicat Clerus Gallicanus, an. 1700. in declaratione de dilectione Dei in pœnitentiæ Sacramento requisitâ. Neque enim ut ibi loquuntur Præsules Gallicani satis adimpleri potest utrique Sacramento necessarium

vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata Divina propositum, si pœnitens primi ac maximi mandati quo Deus toto corde diligitur nullam curam gerat; nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum Divinâ opitulante gratiâ se excitet ac provocet.

CONSECTARIUM VII. Qui, vel ex necessitate vel ex devotione recipiunt Sacramentum Eucharistiæ, peccant, si toto tempore, vel præcedente, vel concomitante, vel subsequente communionem nullum actum amoris eliciant; tantum quippe Sacramentum vix potest debite sine actu charitatis recipi; est enim pignus amoris Christi erga nos juxta illud Joan. 13. v. 1. *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, ergo exigit à nobis aliquem actum amoris.

Item cum alia Sacramenta Confirmationem scilicet, Extremam-Undtionem, Ordinem & matrimonium recipimus, cum hæc Sacra Simbola sint signum amoris Dei erga nos, debemus Deum authorem Sacramentorum in pignus gratitudinis redamare.

CONSECTARIUM VIII. Culpâ non carent, qui non eliciunt actum aliquem amoris erga Deum, cum audiunt Deum impeti blasphemis, cum vident inhonorari & contemni gravissimis sceleribus; hoc enim exigit amor Divinus, ut patet exemplo Davidis, qui amore incensus dicebat: Ps. 118. v. 139. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Illud etiam docent exempla Phinees, Eliæ, Matathiae & Christi. Phinees enim divino zelo inflam-

matus occidit eos, qui iniuriabantur Beelphegor, numer. 25. Elias verò dicebat, *zelo zelatus sum pro domino exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel* Reg. 3. cap. 19. v. 14. Mathathias autem accensus zelo trucidavit super aram Judæum quemdam idolis sacrificantem & virum quem Antiochus miserat, qui Judæos cogebat immolare, & *zelatus est legem sicut fecit Phinees*, Machab. I. cap. 2. v. 24. Demum zelum illum erga gloriam Dei toto vitæ suæ decursu docuit Christus, de quo dicitur; *Zelus domus tue comedit me.* Joan. 2. v. 17.

IX. Peccant qui in mortis periculo constituti non eliciunt actum amoris; quia tunc præcipuè enitendum est, ut ad Deum per amorem tendamus, & Deo per sacrificium amoris offeramus nos. Id videtur docere Paulus dicens Rom. 14. v. 8. *Sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur; sive ergo morimur, sive vivimus, Domini sumus*, scilicet consecrando nos Deo per amorem; in illo quippe mortis articulo pœnitere nos debet Deum non amasse, usurpantes verba illa Aug. *Sero te amavi pulchritudo tam magna, tam antiqua. Sero te amavi.*

X. Peccant, qui maximam vitæ partem exigunt quin ullum eliciant amoris actum: non enim certe implent illud Ecclesiasti. *Omni vita tua dilige Deum, invoca illum in salute tua* Ecclesiast. 13. v. 18. Et gravem habent timendi causam, ne omni Dei amore profus destituantur; neque enim ut bene monet Aug. in Psal. 31. & c. 21. *Dilectio*

vacare potest ; da mihi vacantem amorem & nihil operantem ? Nec potest vacare amor in anima amantis.

XI. Peccant juxta plurimos , qui non eliciunt actus amoris in sequentibus casibus. 1°. Diebus festis , quibus tenentur Deum peculiariter colere. 2°. Qui in statu peccati mortalis , affectum peccati per actum amoris non abjiciunt , cum volunt audire Sacrum. 3°. Cum volunt aliquod opus magni momenti aggredi ; quæ quidem sententia tuta omninò est & magnæ utilitatis ; ideoque in praxi consulenda.

Unde hortandi sunt fideles. 1°. Ut diebus Dominicis & festis actus amoris eliciant , ad quod persuadendum non parùm inserviunt hæc verba Isaï. cap. i. v. 16. Ubi loquens quâ sanctitate dies festivi celebrandi sint, ait , *Lavamini , mundi estote , auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis : quiescite agere perversè.* De hoc infra ubi de sanctificatione festorum.

2°. Hortandi sunt peccatores , ut affectum peccati mortalis abjiciant , cum volunt missæ sacrificio interesse , ut unâ cum Sacerdote sacrificium offerant Deo : ad quod Suadendum inservire possunt hæc verba Samuelis 1. Reg. 16. v. 5. *Sanctificamini , inquit , & venite mecum , ut immolem :* Innuens plebem Sacerdoti debere conjungi , ut cum eo sacrificium offerat. De hoc fusius infra , ubi de auditione missæ.

3°. Hortandi sunt fideles ut actum charitatis eliciant cum ingens aliquod negotium suscipiunt , quia tunc maximè ad Deum re-

currendum est, quod maximè evincunt hæc verba Isaïæ 30. v. 1. *Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum.*

4°. Hortandi sunt fideles, ut interdum in confessione Sacramentali accusent se de omissione actuum charitatis erga Deum; incerti an illud impleverint: pium illud exercitium suadet Navarrus Enchyri. cap. II. num. 7:

PROPOSITIO II. Deus consideratus, prout est suprema bonitas, exigit ut mens nostra in ipsum diversis affectibus moveatur, eique per illos affectus adhæreat & ab eo separari formidet.

Probatur. 1°. Scripturâ. Ecce inquit David. Psalm. 72. v. 26. *Qui elongant se à te peribunt, perdidisti omnes qui fornicantur abs te; mihi autem adherere Deo bonum est.* Ergo pessimum malum est elongari à Deo; & unicum bonum est cum eo conjungi; quod utique non fit nisi piis affectibus; ad Deum siquidem, ut docet passim Aug. non itur pedibus, sed affectibus: ergo mens nostra debet in Deum diversis affectibus amoris moveri, eique adherere.

2°. Ex Aug. serm. olim. 13. de verb. Apost. cap. 7. nunc vero c. 56. *Dicebat Epicureus mihi frui carne, bonum est: dicebat Stoicus, mihi frui meâ mente bonum est: dicebat Apostolus Paulus mihi adherere Deo bonum.* Ergo præcipuum hominis officium est adherere Deo variis amoris affectibus. *Ei enim inherens, ut docet idem Aug. libr. 2. de lib. arb. 8. cap. 13. Tamquam obliviscitur cætera & in illo simul omnibus fruitur.*

3. Ratione. Bonitas mentem nostram ad se attrahit ejusque affectus, excitat, ergo cum Deus sit suprema bonitas exigit, ut mens nostra in ipsum diversis affectibus moveatur.

Non omnes sed aliquos affectus, in quos mens nostra potest erumpere, percurramus.

Consectaria hujus doctrinae.

CONSECTARIUM. I. Oportet ut mens nostra excelsam Dei majestatem consideret, de qua Psalmista ait, *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Et in hac excelsa Dei eminentia ultrò sibi complacet; uti verus filius gaudet, & lætatur de fortunâ patris; id juxta Aug. epist. 121. exprimunt hæc verba orationis dominicæ, *Pater noster qui es in cælis;* Idem enī est ac si diceremus, *Pater non minus gaudeo, quod sis in cælis, omnibusque longè emineas, quàm filius gaudeat ob fausta quæ patri obveniunt.* Apertè affectum illum exprimunt hæc verba Abacuc. *Ego in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo.* Idemque exprimit Canticum beatorum in cælis dicentium. *Alleluya, salus, & gloria, & virtus Deo nostro est...* Et rursus, *laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus, & qui timeis eum pusilli, & magni* Apocaly. 19 v. 2 & 5.

CONSECTARIUM. II. Oportet ut mens nostra optet hanc Dei eminentiam omnibus innotescere, & nomen sanctum ejus in dies magis ac magis manifestari; quod

desiderium his verbis exprimimus juxta Aug. Epist. 121. *Sanctificetur nomen tuum ; secuti exemplum Christi , qui non suam , sed patris gloriam in omnibus sectabatur : Honorifico , inquebat , patrem meum , ego non quero gloriam meam.* Joan. 4. v. 34. Et Paulus non in alium quàm in Deum , veram gloriam refundebat. *Regi seculorum , inquebat , immortalis , invisibili , soli Deo , honor & gloria.* I. ad Tim. I. v. 17.

CONSECTARIUM. III. Oportet ut mens nostra ita sit affecta erga Deum , ut sanctissimam ejus voluntatem in omnibus adimpleri desideret & ab ipso numquam separari per peccatum ardentè postulet. Juxta Aug. Ibidem primum affectum ita exprimimus , *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terrâ.* Secundum verò his fortè verbis excitare possumus. *Et ne nos inducas in tentationem , sed libera nos à malo.* Affectus illi ex amore & timore coalescunt : sic enim inquit Aug. *Patres à filiis piis & timentur & amantur , sic conjux pudica virum & timet , nè ab illo deferatur , & amat ut fruatur : Si ergo & pater homo & conjux homo , & timeri & amari debent , multò magis pater noster qui est in cælis , & ipse sponsus , non carne præ filiis hominum , sed virtute formosus.* Ita passim in suis operibus Aug. sed præcipuè in Psal. 118. Hom. 31.

PROPOSITIO. III. Deus consideratus pro ut est nostra beatitudo , exigit ut mens nostra in ipsum diversis affectibus inclinetur v. g. amando , desiderando eam beatitudinem , cunctisque bonis creatis præferendo.

Probatur 1°. Scriptura. *Quid mihi est in cælo, inquit David, & à te, id est præter te, quid volui super terram Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum, Psal. 72. v. 24.* Ergo tenemur ad exemplum Davidis Deum quatenus est nostra beatitudo, & amare, & desiderare, cunctisque bonis creatis præferre; quod verò pium illud exercitium sit non solum de consilio, sed etiam de præcepto, patet ex eo quod statim subjungit Psalmista. *Quia ecce qui elongant se à te peribunt indicans perituum eum qui secus fuerit.*

2°. Ex Aug. in Psal. 134. *Ipsa merces tua summa, Deus, ipse erit quem gratis diligis, & sic amare debes, ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet.* Ergo oportet ut mens nostra Dei possessionem amet, desideret, eamque cunctis bonis creatis præferat.

3°. Ratione. Illud debemus in terris amare optare, bonisque terrestribus præferre quod nobis in cælis promittitur; Deus enim nihil promittit nisi quod nos amare desiderare & magni facere oporteat, atqui Deus ipse nobis promittitur ut nostra Beatitudo juxta illud dictum Abrahamæ. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Gen. 15. Ergo oportet ut mens nostra ipsam Dei possessionem, & amet, & desideret, & cunctis bonis creatis præferat.

Non omnes, sed aliquos affectus in quos mens nostra potest erumpere erga Deum, quatenus est nostra beatitudo, percurremus.

Confectaria hujus Doctrinae.

COMSECTAIUM. I. Oportet ut mens nostra sapius eam mercedem, quæ non alia est quàm Deus ipse, exoptet & sitiât. Ex Aug. Epist. 121. Id videtur præcepisse Christus dum jussit, ut beatitudinem illam enixè à Patre postulemus hâc prece frequenter repetitâ, *Adveniat regnum tuum.* Idem suadent sanctiorum virorum exempla. *Erit mihi Dominus in Deum,* inquit Jacob. Gen. 28. & Paulus, *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Pios illos affectus ita exprimit Aug. soliloq. cap. 1. *Domine meus, rex meus, pater meus, causa mea, spes mea, res mea, honor meus, domus mea, patria mea, salus mea, lux mea, vita mea jam te solum amo, te solum sequor, te solum quero, tibi solum servire paratus sum.* Similia reperies quam plurima in Psalmis, in libris Confess. Aug. & alibi.

CONSECTARIUM. II. Mens nostra ita debet esse affecta erga Deum, qui futurus est nostra beatitudo, ut eum bonis quibuscumque creatis præferat, malitque omnia mala perpeti, bonisve omnibus spoliari, quàm à Deo sejungi: de hac obligatione ita Paul. ad Rom. 8. v 35. *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An Gladius sicut scriptum: quia propter te mortificamur tota die, & stimati sicut oves occisionis: sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Et ut firmitatem & constantiam illius adhæSIONIS cum Deo clariùs

patefaciat, subjungit, *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Et alibi, omnia arbitramur sum ut stercora, ut Christum sacrificiam.*

CONSECTARIUM III. Hinc sequitur non peccare eos qui intuitu æternæ retributionis operantur, nihilque eo intuitu charitati erga Deum detrahi.

1°. Non peccant; Deus enim vult ut eam nobis sæpius mercedem proponamus, quò alacrius virtutem amplectamur, exemplo Christi, & sanctorum. Christus enim, *proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Heb. 12. *Moyse* *Aspiciebat in remunerationem.* Heb. 11. *David* de se ipso ait. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas, propter retributionem.* Psal. 118. Apostoli mercedem nedum abjiciunt, quin imò postulant; *Ecce, inquit, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te quid ergo erit nobis* Math. 19. v. 27. Et Paulus mercedem non rejicit, sed expectat, *reposita est mihi, inquit, corona justie.* 2. Tim. 4. v. 8. Et Colossenses ad virtutem adhortatur proponens certam *spem quæ reposita est eis in cælis.* 1. v. 5. Reipsâ ut optimè ait Amb. lib. 5. super Luc. 6. *Studia ipsa virtutum sine remuneratione torpescunt:* Et Greg. Hom. 37. *Delectet mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum.* Demum Concil. Trid. sess. 6. can. 31.

ita habet. *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur; anathema sit.*

2^o. Spes retributionis aeternae, si haec retributio sit Deus ipse, nihil charitati detrahit, ut optimè explicat Bonav. in 3. dis. 27. a. 2. q. 2. Ubi sic habet; *Si enim per affectum amicitiae homo servit amico, cumque diligit, sine intuitu praemii, ut ait Philosophus, multò fortius amore charitatis homo vult bonum Deo, sine intuitu alicujus retributionis. Sed per hoc non excluditur, quin charitas amore concupiscentiae exoptet, & desideret illam summam mercedem apprehendere, ad quam finaliter intendit pervenire. Tunc quippè ut monet Aug. in Psal. 72. Gratis amamus Deum. Ipsum, enim, amamus propter ipsum. Et juxta Bernard. lib. de dilig. Deo cap. 7. Tunc anima amans Deum, Aliud praeter Deum sui amoris praemium non requirit. Ubi inquit Aug. in Psal. 72. Factum est cor castum, gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud praemium... Quid ergo nullum praemium Dei; nullum praeter ipsum, praemium Dei ipse est Deus. Hoc amat, hoc diligit, si aliud dilexerit non erit castus amor.*

PROPOSITIO. IV. Si Deus consideretur, uti re verà est, tanquam finis ultimus omnium; quoties homo agit ex deliberatâ ratione, toties debet omnia opera sua in Deum, vel actualiter, vel virtualiter referre; *actualiter*, quidem eliciendo actum expressum, quo opus suum ordinet in Deum, *virtualiter*, verò, faciendo opus suum ex vi prioris intentionis.

Probatur 1°. Scriptura. Paulus de hac obligatione ita loquitur. *Sive manducatis si oè bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* I. Cor. 10. v. 31. & cap. ult. v. 17. *Omnia vestra in charitate fiant.* Et Coloss. 3. v. 17. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo, & patri per ipsum;* Ergo ex Scriptura debemus omnes actiones nostras in Deum dirigere.

Probatur 2°. Ex Divo Aug. D. Enchyrid. cap. 121. *Quod verò ita sit, vel timore pœne, vel aliquâ intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris, nondum sit quemadmodum oportet fieri, quamvis fieri videatur.* Et lib. 1. de Doct. Chris. cap. 2. *Hæc enim regula dilectionis divinitus constituta est, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. Cum ait ex toto corde, totâ animâ, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, & quasi locum dare ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit, illuc rapiatur quò totus dilectionis impetus currit.*

3°. Ex D. Thom. Præceptum, inquit 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2. *Charitatis impleri non potest, nisi omnia referantur in Deum.* Et Rursus 1. 2. q. 102. a. 6. ad 7. *Cœlestis intentio omnibus operibus nostris debet adjungi:* Ergo ex vi præcepti charitatis debemus omnes nostras actiones in Deum referre.

4. Ratione Javelli, ut clarè pateat in hac sententia ab antiquis Theologis minimè nos

dissentire. En verba Javelli. Nullus est actus bonus perfectè moralis, nisi factus sit intentione rectà. Intentio non est recta nisi sit cum dictamine rationis rectæ; Ratio recta dicit omnem actum moralem faciendum ultimè, propter summum ultimum & optimum finem, qui non gratiâ alterius sed gratiâ sui diligendus est, hic autem est Deus; Ergo nullus est actus bonus perfectus moralis, nisi fiat ultimè actu, vel habitu propter Deum &c. Et ex quibus collorariè sequitur, nulla esse opera verè, & perfectè moraliter bona nisi ultimè fiant ex Dei dilectione actuali, vel habituali, undè Aug. super psalmos. Ea quippe sola opera bona dicendi sunt quæ per dilectionem Dei fiunt, & in libro de spiritu, & litterà, inquit, non est fructus bonus qui de charitatis radice non surgit. Ita Javellus, de Philosophiæ Christianæ celsitudine cap. 6.

5º. Omnis homo, vel est peccator, vel justus; si peccator, tenetur converti ad Dominum, juxta illud. *Non tardes converti ad Dominum, ne desferas de die indiem.* Eccles. 6. v. 8. & juxta illud Pauli ad Hebræos. 12. v. 1. *Ideoquæ & nos . . . Deponentes omne pondus & circumstantans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* Si justus tenetur in accepta justitia crescere; juxta illud proverb. 4. v. 18. *Justorum semina quasi lux splendens, procedit, & crescit, usque ad perfectam diem,* & juxta illud Psalmi 83. v. 8. *Ibunt de virtute in virtutem,* & juxta illud, Petri. 2. cap. 3. *Crescite in gratia & in cognitione Domini nostri salvatoris Jesu Christi;* Conversio autem à

statu peccati ad statum gratiæ, augmentum in gratia non habetur, nisi actione supernaturali propter Deum elicitæ; ergo omnis homo, sive peccator, sive justus tenetur opus referre in Deum, vel actualiter, vel virtualiter, quoties agit ex deliberata ratione & in ordine ad vitam æternam; hic enim non ago de actibus bonis præcisè bonitate morali naturali, quia Moralís Christiana qualis est nostra, bonitatem supernaturalem inquirít, non naturalem; & si quæ sint quæstiones circa bonitatem præcisè naturalem, eas Philosophis agitandas relinquo.

consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Non dantur actus indifferentes in individuo, id est quoties homo deliberatè agit, toties vel peccat, vel bene operatur, de quo ita D. Thom. 1. 2. q. 18. a. 9. *Actus à ratione deliberata procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem malè: si verò ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis; unde habet rationem boni. Necessè est autem quòd vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem, unde necessè est omnem actum hominis à deliberativa ratione procedentem, in individuo consideratum bonum esse, vel malum.* Aug. aliud principium adhibet ad illud idem probandum. Quidquid facit homo inquit lib. 9. de Trin. cap. 7. est, aut à charitate, aut à cupiditate, si à charitate; est bonum, si à cupi-

ditate, est malum, cum creatura amatur. Si ad creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, sed charitas erit; tunc enim est cupiditas cum propter se amatur creatura; tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem. Basilius vero, Ambrosius, & Gregorius eandem veritatem probant isto principio, scilicet, quod omnis actio, quæ non cedit in gloriam Dei, est otiosa; si otiosa, ergo mala; de omni enim verbo otioso reddituri sumus rationem in die iudicii. Demum Bernardus, & alii idem evincunt hoc principio omnibus obvio. Omnia quæcumque aut habemus, aut facimus, Deo multis titulis debita sunt, tum quia à Deo vivimus, movemur, & sumus, tum quia ab ipso redempti sumus; *si totum me debeam*, ait Bern. *pro me factò, quid addam jam & pro refectò, & refectò hoc modo.* Ergo si quid Deo subtraham, eique non offeram, furtum est, inquit, & proindè peccatum.

CONSECTARIUM. II. Ut observe-
mus hoc præceptum quo tenemur omnia in
Deum referre, quoties deliberatè agimus;
curare debemus, ut omnia fiant à charita-
te, vel elicitive, vel imperitive, ut ajunt,
de quo ita D. Thom. 2. 2. q. 23. a. 4. ad 2.
*Charitas habet pro objecto finem ultimum hu-
mane vite, scilicet beatitudinem eternam;
ideo se extendit ad actus totius vite humane
per modum imperii, ac proindè in actibus, qui
non fiunt ex imperio charitatis, deest debita
ordinatio ad ultimum finem.*

MONITUM. I. Duo h'c extrema vitan-
da sunt, quorum primum est; ne credamus.

vagam intentionem sufficere, ut opus nostrum referatur in Deum; alterum verò, nè credamus intentionem actualem, & formalem semper requiri, ut opus nostrum referatur in Deum.

De primo sic loquitur D. Bonav. in 2. dist. 41. a. 1. q. 3. non sufficit: *Si quis ad initium anni, vel mensis, vel etiam diei, generali, id est, vagâ quâdam, intentione referat omnia opera sua futura in Deum; sed necesse est, ut illud ipsum opus particulare, quod postea faciendum est, referatur in Deum; tunc enim dicuntur opera virtute in Deum relata, cum intentio præcedens est verâ causa operum.*

De secundo sic habet D. Thom. 1. 2. q. 1. a. 6. ad 3. *Non oportet ut semper aliquis cogitet de ultimo fine, quandocumque aliquid appetit, vel operatur: sed virtus primæ intentionis, quæ est respectu ultimi finis, movet in quolibet appetitu cujuscumque rei: etiam si de ultimo fine actu non cogitet: sicut non oportet, quod qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine, & 1. 2. q. 88. a. 1. ad 2. ait. Sicut Medicus dum colligit herbas, actu intendit conficere potionem, nihil fortassis cogitans de sanitate; virtualiter tamen intendit sanitatem propter quam potionem dat, ita &c. Utiliter ergo circa hoc monent Theologi; ut frequenter & devotè orationem Dominicam recitemus, quâ omnia nostra in Deum ordinamus, si quâ decet attentione, corde, & ore effundatur; monent etiam ut recitemus frequenter istud canticum, *Gloria patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, aut alias similes*

TRACT. III. DE CHARITATE: 93

orationes ferventes , quibus omnia opera nostra dirigamus in Deum.

MONITUM. II. Circa amorem Dei dux etiam illusiones vitandæ ; altera , quâ creditur Deum amari ; quia id mens cogitat ; alterâ , quâ creditur Deum minimè amari ; quia sensibili commotione non afficimur ; utraque illa amoris divini notio fallax est , & à vero longissimè aberrans ,

Amor Dei , nec in cogitatione situs est , quâ nobis persuademus Deum à nobis diligi , dum voluntas in ipsum nullo affectu movetur ; nec in exteriori verborum sono , quo ita loquimur ; *diligo te Domine ex toto corde* ; dum interim Dei mandata , & negligimus , & violamus ; sed amor Dei actus est voluntatis , quo in Deum ferimur , & pondus aliquod , quo in Deum inclinamur , ejusque mandatis etiam minimis obtemperamus ; nulla licet sensibilis affectio sanguinem agitet , aut cor nostrum commoveat. De vera charitate sic scribit Joannes I. cap. 3. v. 18. *Filioli mei , non diligamus verbo , neque lingua , sed opere , & veritate.* Qui ergo cœlestem charitatem dignoscere voluerit , eam ex terrenis affectibus metiatur ; uti enim amicum diligere dicimur , cum de eo frequenter loquimur , de eo frequenter cogitamus , cum ejus causam licet absentis suscipimus , cum ei adhærere cupimus , dum quod ei placet ultrò amplectimur , quod ei displicet , exactè vitamus : ita tales oportet nos esse erga Deum , si eum verè dilexerimus : tales enim exhibuerunt se sancti erga Deum , quem diligebant. De Deo sæpius cogitabant , juxta il-

lud sap. 5. v. 16. *Cogitatio illorum apud altissimum.* Deum frequenter recordabantur; juxta illud psal. 41. v. 5. *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam.* De Deo, rebusque divinis loquebantur, uti faciebant discipuli euntes Emmaus; & ipsi, inquit Lucas, 24. v. 14. *loquebantur adinvicem de his omnibus quæ acciderant Jesu.* Deo offenso, condolebant, juxta illud psal. 118. v. 13. *tabescere me fecit zelus meus, quia oblitus sum verba tua inimici mei.* Deo glorificato, congaudebant, juxta illud psal. 96. v. 1. in quo David & gaudet, & ad gaudium excitat omnes populos ob stabilitum regnum Dei. *Dominus regnavit, exultet terra, latentur insule multe.* Deum quærebant assidue, uti dictum de sponsa: *Quæserunt quem diligit anima mea; inventum non deserebant, sed castè amplexabantur, Tenui eum nec dimittam,* Cant. 1. Deo adherere cupiebant. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum,* inquit David, psal. 41. v. 2. *Ita desiderat anima mea ad te Deus.* Tandem, quæ Deo placebant, sectabantur; quæ autem Deo displicebant, aversabantur. Uti enim matres verè & filios, & sponfos dicuntur diligere, dum illos sollicitè & amanter curant, dum illis ægrotis anguntur, convalescentibus gaudent, dum periclitantibus metuunt, dum absentes desiderant, ita & nos Deum diligere dicimur, cum similibus affectibus erga Deum movemur.

Cavendum tamen ne his aut similibus signis præsumat quis, & certò statuatur se esse in charitate. *Nemo enim scit, utrum amore, vel*

odio sit, dignus & à nemine nisi ex speciali revelatione sciri potest. Quos Deus sibi elegerit: & rursus, ut monet Trident. post Apof. Qui existimant se stare, videant ne cadant, & cum timore, ac tremore salutem suam operentur; Sef. 6. cap. 13.

CAPUT II.

De actibus contrariis charitati erga Deum.

Actus divino amori ergà Deum contrarii sunt hi, qui amorem Dei tum affectivum, tum effectivum directè impetunt. Redduntque animam ita malè affectam erga Deum, ut eum instar inimici habeat: rara quidem, & infrequens est hæc humani cordis pravitas, sed quia eò malitiæ aliquando progreditur, ideo hîc de actibus charitati erga Deum adversantibus agendum.

I. PROPOSITIO. Graviter peccant, qui actus amori affectivo erga Deum contrarios eliciunt.

Probatur 1. Script. Omissio amoris affectivi erga Deum in his circumstantiis in quibus debet elici est peccatum mortale, juxta illud Joan. 1. cap. 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte*, & juxta illud Paul. 1. ad Corin. 16. v. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema*; ergo à fortiori actio directè contraria amori divino affectivo erit peccatum mortale.

2. Ex Grego. lib. 25. Moral. cap. 16. ubi sic habet, *Sicut non numquam gravius est peccatum diligere, quàm perpetrare; ita nequius*

est odisse justitiam, quàm non fecisse; ergo & odisse Deum gravius est, quàm aliquod ex ejus mandatis violare; undè ait D. Thom. 2. 2. q. 34. a. 2. in corp. Odium Dei inter alia peccata est gravius.

3. Ratione. Omnis actus virtuti contrarius est peccatum, & tanto gravius, quantò sublimior est virtus, quæ per peccatum impetitur; ergo cùm charitas sit omnium virtutum maxima, odium Dei, charitati Dei contrarium, debet esse omnium peccatorum gravissimum.

Conseſtaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM. I. Graviter peccant qui ita depravato sunt corde, ut Deum odio habeant quia ab illis, ut ait D. Thom. *Apprehenditur tamquam peccatorum prohibitor & pœnarum infligator.* Debent enim sanctissimam Dei legem amare, & pœnas ab illo inflictas patienter tolerare; de quibus ita Aug. tract. 90. in Joan. *ô miseros homines, qui cum volunt esse mali; nolunt esse veritatem, quâ damnantur mali; nolunt enim eam esse quod est, cum se ipsos debeant nolle esse quod sunt, ut ipsâ manente mutantur, ne ipsâ judicante dammentur.* De quibus ait Deus. *Odio habuerunt me gratis, id est, sine causa.* Joan. 13. v. 25.

CONSECTARIUM. II. Peccant graviter qui ita sunt affecti erga Deum, ut quod Deo placet, onerosum habeant, jucundum verò, quod Deo odiosum est; quia actus ille maximè amori divino affectivo adversatur.

Tales

Tales sunt hi, qui ita invidi sunt erga Deum, ut doleant maximè divinam ejus celsitudinem omnibus eminere, tantòque magis crescat eorum pravitas, quantò sublimior eis apparet divina excellentia, de quibus ait David psal. 73. *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.*

Tales sunt hi, qui Regnum Christi, & Dei ita onerosum habent, ut latentur cum videtur decrescere, doleant verò, cum videtur latius extendi, de quibus ita Christus, Joan. 15. v. 24. loquens de Judæis, *nunc autem & viderunt, & oderunt me, & patrem meum.*

Tales etiam sunt hi, qui sanctissimam Dei legem, non modò ipsi violant, sed ab aliis violari cupiunt. Tales erant Pharisei quibus sic improperat Christus, Math. 23. v. 15. *Vae vobis Scribæ & Pharisei hypocrisiæ quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum profelytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.*

CONSECTARIUM. III. Graviter peccant, qui ita sunt erga Deum affecti, ut eum quidem odisse nolint, sed eum actu positivo diligere nihil curent; etenim perennis illa divini amoris voluntaria cessatio, & erumpentis sponte ardoris retentio maximè charitati adversatur; charitas enim ignis est; ergo aestuet oportet; virtus est, ergo prorumpat in actus necessum est; arbor est, ergo nequit esse omnino sterilis, & infructuosa.

PROPOSITIO. II. Peccant quicumque actus effectivo amoris erga Deum contrarios eliciunt, & quidem mortaliter, si charitatem extinguant; venialiter verò, si

Probat 1. Scrip. Christus interrogatus ab uno ex Scribis, *Quod esset primum omnium mandatum*, respondit, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua.* Marc. 12. v. 30. Quod utique fit, inquit D. Thom. opus. 18. cap. 5. 1. Si omnes affectus cordis referantur in Deum sicut in finem. 2. Si mentem suam homo Deo subjiciat captivando intellectum in obsequium fidei. 3. Si quaecumque homo amat, in Deo amet. 4. Si omnia exteriora verba, & opera ex divina charitate firmentur. Demum, *si nihil nobis desit ad divinam dilectionem, quod actu, vel habitu in Deum referamus, & hujus divine dilectionis perfectio datur homini in præcepto; ergo si quid agamus contra prædicta, peccamus contra amorem Deo debitum: mortaliter quidem, si extinguatur charitas, venialiter verò, si solum ardor charitatis minuat, ut passim explicat, D. Thom.*

2. Ex Aug. lib. 2. cont. Faust. cap. 78. ubi sic habet, *fit homo iniquus, cum propter seipsas diligit res propter aliud assumendas; & propter aliud diligit res propter seipsas diligendas. Sic enim quantum in ipso est, perturbat in se ordinem naturalem quem lex æterna conservari jubet; ergo peccat quicumque agit contra amorem Dei effectivum; quo fit ut ibidem docet Aug. Ut ob aliud homo non appetat rebus uti, nisi propter quod divinitus institutæ sunt: ipso autem Deo frui propter ipsum, seque & amico in ipso Deo, propter ipsum Deum.*

3. Ratione. Amor effectivus jubet non modò nihil diligere plusquam Deum; sed etiam nihil omninò diligere nisi propter Deum, & omnia ad ejus gloriam dirigere; Deo enim tamquàm creatori; tamquàm Redemptori, tamquàm supremo omnium bono debetur omnis animæ motus, omnis affectus, nullaque amoris nostri pars sine injuria creatoris in creaturam derivatur; ergo peccant quicumque aliquid contra illum amorem moluntur. Undè Leo magnus ait serm. 5. de jejuniis septimi mensis. *Rationalis animus . qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi; in dilectione Dei, nullatenim, in dilectione mundi, cuncta sunt noxia;* ergo peccant quicumque actus eliciant effectivo amori erga Deum contrarios: mortaliter quidem, si suum amorem sistant in creatura; venialiter verò, si non adhæreant ultimè creaturæ. Vide quæ diximus, ubi de distinctione peccati mortalis, & venialis.

Consectaria hujus doctrine.

CONSECTARIUM. I. Peccant pigri qui de bono spirituali tristantur, vel qui laborem annexum cum observantia divinæ legis refugiunt; quos sic loquentes inducit David. psal. 118. v. 28. *Dormitavit anima mea pre tadio.* Hæc tristitia est peccatum mortale, inquit Cajeta. Quando inducit mortalem omissionem, putà, cum quis horret bona spiritualia ad quæ tenetur, aut cum inducit ad mortalem commissionem, ad desperationem, aut ad contemptum beneficiorum Dei.

CONSECTARIUM. II. Peccant luxu-

100 MORALIS CHRISTIANA:
riofa, gulofa, ebriofa, &c. Qui carnalibus voluptatibus heberati, fpirituales faftidiunt delicias, virtutis exercicia nihil omnino curant; de quibus ait David pſal. 106. v. 18. *Omneſc am abominata eſt anima eorum.*

CONSECTARIUM. III. Peccant qui rebus creatis potius quàm Deo tamquàm ultimo fini adhærent, in quibus cupiditas dominatur, & non charitas; hic enim animæ ſtatus, hæc cordis noſtri affectio divino amori maximè adverſatur, ut docet ſanctus Franciſcus Saleſius Genevenſis Antiſtes lib. 10. de divino amore. *Hoc, inquit, à nobis poſcit Deus, ut inter omnes amores divinus præcipuum in corde locum obtineat, ut toti nimirum dominetur cordi. . . Omnes nimirum facultates mancipans. . . Singulis ſufficiens, eſt ille amor, ſed omnibus neceſſarius ad ſalutem: ita enim oportet nos eſſe affectos erga creaturas, inquit Paul. 1. Cor. 7. v. 31. Ut qui utuntur hoc modo, tamquam non utantur, præterit enim figura huius mundi, & juxta Aug. lib. 1. de Doct. Chriſt. cap. 3. utendum eſt hoc mundo & non fruendum; frui enim eſt, inquit, amore alicui rei inherere propter ſe ipſam: uti autem, quod in uſum venerit, ad id quod amas obtinendum referre, ſi tamen amandum eſt.*

CONSECTARIUM IV. Peccant demum contra amorem Dei effectivum quicumque peccatum aliquod mortale committunt; ut docet Gerſon in Opuſc. tripar. cujus hæc ſunt verba, *præceptum eſt, inquit, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. hoc eſt non voles ſcienter rem quamcumque*

amare plusquam Deum, quo Dei amorem perdas. Hoc autem præceptum convenienter ab homine servatur, & non aliter, si legem Dei, & alia præcepta operibus impleat; quisquis enim mortaliter peccat, præceptum hoc infringit; quia voluntatem suam divinæ voluntati oppositam anteponit. Hactenus Gerson. Amorem illum perversum mortalem esse pronuntiat Christus, apud Math. cap. 10. v. 37. *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus, & qui amat filium, aut filiam suam super me, non est me dignus.*

PARS TERTIA.

De Charitate erga nos.

DE charitate erga nos, eodem ordine agemus, quo de charitate circa Deum, statuemus. 1. Ad quid obliget charitas erga nos. 2. Quæ vitia illi opponantur.

CAPUT I.

Ad quid obliget charitas ergo nos.

Precepto non opus est, ut notat Aug. lib. 1. de Doct. Christ. cap. 26, *ut se quisque, & corpus suum diligat. . . Quoniam id quod sumus inconcussa naturæ lege diligimus; ideo lex non imponit præceptum quo nos diligamus; sed modum statuit, quo dilectio erga nos dirigatur.*

I. PROPOSITIO. Ut homo rectè se diligat, tenetur se diligere propter Deum,

in cuius possessione posita est ejus beatitudo.

Probatur 1. Script. Christus ut charitatem nostram erga nos ipsos dirigat, ita nostros affectus ordinat, ut velit nos odio habere ea omnia, quæ nos à Deo separant, eaque diligere quæ Deo nos possunt conjungere: sic enim loquitur apud Marc. 8. v. 25. *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, in æternum perdet eam temporaliter; qui autem perdidit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet: & Petrus 1. 1. v. 12. observantiam charitatis in eo sitam esse contendit, ut animas sanctas, Deoque placentes efficiamus, animas, inquit, vestras castificantes in obedientia charitatis: & Judas Apostolus vult ut dilectio nostra semper ad beatitudinem tendat, vosmetipsos, inquit, in dilectione Dei servate expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam; ergò ut homo rectè se diligat, debet se in ordine ad Deum diligere.*

2. Ex Aug. lib. 1. de Civ. Dei cap. 4. ubi sic loquitur, *ut homo se se diligere possit, constitutus est ei finis, quo referret omnia quæazeret, ut beatus esset; ergo ut homo rectè se diligat, debet se propter Deum diligere: & lib. 1. de Doct. Christ. rem eandem distinctiùs explicat his verbis, sed nec se ipso quisquam frui debet, si liquidò advertas; quia nec se ipsum debet propter se ipsum diligere, sed propter illum quo fruendum est; tunc est quippe optimus homo, cum totâ vitâ suâ pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu in-*

heret illi; ergo homo non rectè se diligit nisi se diligit propter Deum.

3. Ratione. Homo rectè non se diligit; nisi quatenus vult sibi bonum, quo beatus fiat; homo autem non vult sibi bonum quo beatus fiat, nisi se diligit propter Deum; quia extra Deum homo beatus esse non potest, juxta illud Aug. Conf. 13. cap. 8. *Hoc autem scio, quia malè mihi est præter te, non solum extra me, sed & in meipso, & omnis copia, quæ Deus meus non est, mihi egestas est;* ergo homo non rectè se diligit, nisi se diligit propter Deum.

Consectaria hujus Dôctrine.

CONSECTARIUM. I. Primum officium charitatis hominis erga se ipsum est, ut desideret supremam beatitudinem, & in inquirendâ illâ beatitudine totos nervos intendat. *Querite primùm regnum Dei, & justitiam ejus,* inquit Christus, *& hæc omnia adjicientur vobis.* Primum, id est, ante omnia, super omnia, & in omnibus; & Eccles. 12. v. 13. *finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo.* Ad hoc, inquit Hieron. *natus est omnis homo,* & Bernard. serm. 20. in cant. *Ergo si hoc est omnis homo, absque hoc nihil omnis homo;* igitur ut optimè monet Eucher. epist. parænetica ad Valeria. *Primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant, summasque sibi sollicitudinis partes salus, quæ summa est, vindicet. Hæc nos occupet in præsidium, & tutelam sui, jam non planè prima, sed sola: cura enim salutis, nostræ negotium.*

est, non multiplex, & vagum, sed unicum; non vanum, & indifferens, sed planè necessarium; non temporale, sed æternum; non extraneum, sed proprium.

Negotium salutis unicum est cunctisque hominibus omninò necessarium; undè Christus ait Marthæ cibos quibus ipse aleretur præparanti (quo tamen nihil Sanctius) *Martha, Martha sollicita es, & turbaris circa plurima, porrò unum est necessarium, scilicet, cura salutis.*

Negotium salutis proprium est, & non extraneum, quo cadente omnia cadunt, quantumvis prosperè succedere videantur, juxta illud Christi, *quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

Demum negotium salutis, non tempus respicit, quod brevi finiet, sed æternitatem, quæ semper duratura est; unde ait Christus, *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur. & fures effodiunt & furantur; thesaurisate autem vobis thesauros in Cælo. Ubi neque ærugo, neque tinea demolitur & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Math. 6. v. 19. Ideò Salomon, attendens quod salutis suæ curam neglexisset, ait, *stultissimus sum omnium hominum* Ipsimet reprobi pariter eandem veritatem inviti inter flammæ confitentur; ergo erravimus inquit, à *via veritatis*; itaque qui prudens sibi sapit, suæ salutis ante omnia invigilat, & sic se se recto ordine diligit.

CONSECTARIUM. II. Secundum officium charitatis erga nos, in eo situm est,

ut quilibet beatitudinem optet non vago , sed certo desiderio , mediaque ad eam beatitudinem perducentia efficaci electione assumat , & obices ab ea removentes efficaci horrore longè abjiciat , seruetque constanti proposito mandata omnibus hominibus imposita , & ea quæ ad ipsius statum pertinent ; *si vis*, inquit Christus , *ad vitam ingredi , serua mandata*. Et loquens de dilectione Dei & proximi ait , *fac hoc & viues*.

Quæ sint mandata omnes homines spectantia , dicemus , explicandò Decalogum ; quæ verò sint mandata cuiilibet statui peculiariora , ostendemus , agendo de variis hominum statibus.

CONSECTARIUM. III. Tertium charitatis officium erga nos ipsos est , ut corpus animæ , animam verò Deo subiciamus , de quo ita D. Thom. 2. 2. q. 25. a. 7. *Secundùm hoc , boni diligunt seipsos secundùm interiorem hominem ; quia volunt ipsum seruari in sua integritate , & optant ei bona , quæ sunt bona spiritualia , & etiam ad ea assequenda intendunt , & delectabiliter ad cor proprium redeunt : quia ibi inveniunt bonas cogitationes in presenti , & memoriam bonorum præteritorum , & spem futurorum bonorum : ex quibus delectatio causatur. Similiter etiam non patiuntur in se ipsis voluntatis disensionem ; quia tota anima eorum in unum tendit , scilicet in Deum.*

CONSECTARIUM. IV. Quartum officium charitatis erga nos est , ut in dilectione nostri , Deum , Christum , Sanctos nobis in exemplum proponamus ; aded ut

talis sit amor erga nos, qualis est amor Dei, amor Christi, & amor Sanctorum erga seipfos: *Estote inquit Paulus, imitatores Dei, quasi filii charissimi*, ad Ephes. 5. v. 1. Et rursus *imitatores mei estote, sicut & ego Christi*; Ergo sicut Deus omnia propter semetipsum operatus est, sicut Christus omnia operatur propter gloriam patris, sicuti Sancti omnia in gloriam Dei referunt; ita & nos omnia nostra referamus in eam beatitudinem, quam non alibi, quam in Deo reperimus.

Deum autem imitabimur si de rebus judicemus, ut ipse judicat, si de eis loquamur, ut ipse loquitur in Scripturis; si contemnamus, quod ipse contemnit; si magni faciamus, quod ipse æstimat; si demum non rationem incertam, sed fidem infallibilem audiamus; nequè corruptis affectibus, quos cupiditas suggerit, sed piis motibus, quos charitas inspirat; obtemperemus.

Christum imitabimur, si Adamum, in quo fuimus carnaliter geniti, exuamus. Christum verò, in quo fuimus spiritualiter regenerati, induamus: Si opera carnis, qualia sunt superbia, avaritia, luxuria, gula, ira, acedia, fugiamus; sectemur verò opera spiritualia, qualia sunt humilitas, liberalitas, continentia, temperantia, patientia, zelus in spiritualibus. Quæ omnia officia Paulus ad Rom. 23. v. 13. his verbis complexus est: *Induimini Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desiderijs*. Si demum ita nobis in cunctis proponamus Christum, ut nihil ardentius op-

temus quàm ut *formetur Christus in nobis*. Ad Gal. 4. v. 15. Ut possimus dicere cum Paulo, *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus*. ad Gal. 2. v. 20. Christus enim est *via, veritas, & vita*. *via*, per exempla quæ nobis exhibuit; *veritas*, per doctrinam quam tradidit; *vita*, per gratiam quam nobis meruit. *Qui ergo dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare*.

Sanctos imitabimur, ut oportet, si beatitudinem, cujus sunt participes, sitiamus; si accessum, quem habent ad Deum, precibus sollicitemus; si iisdem utamur mediis, quibus ipsi ad cælos pervenerunt. Si quæ fuerunt in illis peccata, hæc horreamus, sicut & ipsi horruerunt; Si quæ fuerint in eis viæ non vulgares, miremur, & non imitemur. Communiibus verò eorum virtutibus, statuique nostro convenientibus insistamus.

CAPUT II.

De Vitiis oppositis Charitati erga nos.

PROPOSITIO Unica. Tunc homo inordinatè se diligit; cum non diligit se propter Deum.

Probatur 1°. Script. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*. Psal. 10. v. 6. & Joan. 12. v. 25. *Qui amat animam suam, perdet eam*; ergo ille homo qui non se diligit propter Deum, inordinatè se diligit.

2°. Ex Aug. Epist. 52. ad Maced. ubi sic

loquitur, *In dilectione Dei ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & proximi tamquam sui ipsius, intelligitur nullam esse aliam dilectionem, quâ quisque diligit se ipsum, nisi quod diligit Deum; qui enim aliter se diligit, potius se odisse dicendus est: fit quippe iniquus, privaturque luce justitiæ, qui à potiore, & præstantiore bono aversus, atque indè, vel ad seipsum conversus; ad inferiora utique, & egena convertitur: fitque in ipso quod veracissimè scriptum est; Qui amat iniquitatem, odit animam suam, & ibidem. Nemo nisi Deum diligendo diligit se ipsum.*

3. Ratione. Tunc homo inordinatè se diligit, cum remouet à se bonum, sine quo beatus esse non potest; omnis enim recta dilectio ad veram beatitudinem tendit; atqui quando homo non se diligit propter Deum, amouet à se bonum sine quo beatus esse non potest; quia extra Deum haberi nequit beatitudo; ergo tunc homo se inordinatè diligit, cum diligit se sine ordine ad Deum. *Siquidem ut ait Aug. lib. de moribus Eccles. cap. 26. Ille se satis diligit, qui sedulò agit, ut summo, & vera perfruatur bono, quod si nihil sit, quam tu Deus... Quis cunctari potest, quin se amet, qui amator est Dei, & quin se oderit, qui non est amator Dei.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM, I. Ille homo inordinatè se diligit qui beatitudinem quam spontè optat, alibi, quam in Deo, collocat

locat v. g. in aliquo objecto creato, putà, divitiis, voluptatibus, &c. Quod ita infec-
tabatur olim David psal. 143. v. 15. *Beatum*
dixerunt populum, cui hæc bona temporalia
sunt, cum reverà infelix sit: Beatus, verò,
populus cujus Dominus Deus ejus. Psal. 83. v. 13.
& rursùs, *Domine virtutum beatus homo qui*
sperat in te.

CONSECTARIUM II. Ille homo in-
ordinatè se diligit, qui statuens quidem bea-
titudinem in Deo, quærit tamen in Deo eam
beatitudinem, quam natura corrupta appe-
tit, non eam, quam nobis fides promittit,
id est, quærit beatitudinem carnalem, non
spiritualem; qualem filiis cupiebat mater fi-
liorum Zebedæi Math. 20. v. 2. Sic enim
orabat; *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus*
ad dexteram tuam, & alius ad sinistram in
regno tuo; Qualemve hi duo Apostoli peti-
erunt juxta Marc. 10. v. 37. Da nobis, ut
unus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram
tuam sedeamus in gloria tua. Inordinatus est
ille amor, quo concupiscentia non reprimi-
tur, sed differtur, de quo ita Aug. serm. 74.
vulgò de tempore super hæc verba, *multi*
venient ab oriente & occidente. Ubi sic lo-
quitur, recumbent, inquit, requiescent. Non
enim debemus illic carnales epulas cogitare,
aut aliquid tale in illo concupiscere, ut non vi-
tia mutemus virtutibus, sed vitia subdamus;
aliud enim est desiderare regnum cælorum,
propter sapientiam, & vitam æternam; aliud,
propter felicitatem æternam, aliàs terrenam,
quasi illic habeamus opulentiorum, atquè me-
liorem; si dixitem te in illo regno futurum

pas, cupiditatem non amputas, sed mutas, & tamen dives eris, & non nisi illic dives eris, & in Psal. 110. sic loquitur idem Sanctus Doctor, nolo te fallas, nec terram trahentem lac & mel carnaliter cogites, non amena prædia, non hortos fructiferos, & opacos, nec tale aliquid mediteris adipisci; quale solet hic oculus avaritiæ concupiscere; cum enim sit radix omnium malorum cupiditas, perimenda est, ut hic consumatur; non differenda, ut ibi satiatur.

CONSECTARIUM. III. Ille homo inordinatè se diligit, qui, præconcepto vago desiderio consequendi beatitudinem, negligit media ad eam beatitudinem assequendam necessaria, de quo ita Sapiens proverb. 13.v.4. *Vult, & non vult piger, id est vult salutem, & non vult media conducentia ad salutem.*

CONSECTARIUM. IV. Ille homo inordinatè se diligit, qui pluris facit corpus quàm animam, qui exteriorem hominem carnalem & corruptum fovet; interiorem verò hominem spirituales non audit; de quo ita D. Thom. 2. 2. q. 25. a. 7. *Mali non volunt conservari in integritate interioris hominis, neque appetunt ejus spiritualia bona, neque ad hoc operantur, neque delectabile est eis secum convivere redeundo ad cor, quia inveniunt ibi mala, & præsentia, & præterita, & futura quæ abhorrent, neque etiam sibi ipsis concordant propter conscientiam remordentem.*

CONSECTARIUM. V. Ille homo inordinatè se diligit qui indiscreto zelo ductus pluris facit salutem æternam proximi quàm

TRACT. III. DE CHARIT. III

suam ; nemini enim licet salutem suam æternam pro salute etiam æterna proximi amittere , nec propriæ damnationi proximorum causâ aquiescere. *Etenim hoc est* , inquit D. Thom. in cap. 9. ad Rom. v. 3. *Contra ordinem charitatis , quo quis tenetur diligere. Deum super omnia , & suam salutem plusquam salutem aliorum.* Nec est quod opponatur vel Moyse Deum sic orans pro Judæis in idolatriam lapsis. *Aut dimitte eis hanc noxam , aut si non facis , dele me de libro tuo quem scripsisti.* Exod. 32. v. 31. vel Paulus sic zelum suum erga Israëlitas attestans ad Rom. 9. v. 3. *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Uterque enim , inquit Hierony. Moyse scilicet & Paulus. *Vult perire in carne , ut alii salventur spiritu , uterque vult suum sanguinem fundere , ut multorum anime conseruentur.* Quod sacrificium est gratum Deo ; etenim ut ait Christus Joan. 15. v. 13. *Majorem hanc dilectionem nemo habet , ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Est etiam utile ei qui pro proximo migrat è vita hac temporali , qui enim odit animam suam in hoc mundo , in vitam æternam custodit eam. Joan. 12. v. 25. Sed , nec Paulus , nec Moyse pro salute fratrum voluerunt perire in perpetuum , inquit Hieron. Hoc enim sacrificium injucundum est Deo qui salutem nostram optat , non damnationem : inutile proximo. *Qui enim sibi nequam est , cui bonus erit.* Ecclis. 14. v. 5. Eique noxium qui vanâ illusionem deceptus salutem suam æternam pro aliorum salute stultè devovet , etenim , inquit Salomon , proverb. 9. v. 12. *Si*

III. MORALIS CHRISTIANA.

sapiens fueris tibi metipſi eris. Unde damnata eſt hæc propoſitio Quietiſtarum. Qui ſuum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradifo: nec debet deſiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ ſanctitatis, nec propriæ ſalutis, cujus ſpem purgare debet.

CONSECTARIUM. VI. Ille homo inordinate ſe diligit qui, Adamum imitatur non Chriſtum; qui carni obſecundat non ſpiritui; qui mundum audit non Evangelium; qui cupiditate ducitur non charitate, à quibus nos detterret Joan. his verbis. I. cap. 2. v. 15. *Nolite diligere mundum, neque omnia que in mundo ſunt, quoniam omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vite.* Per concupiſcentiam carnis. Intelligit Aug. quidquid ad libidinem & mollitiem pertinet v. g. Luxuriam, Theatra, Ludos, Choreas. Per concupiſcentiam oculorum intelligit quod pertinet ad avaritiam, ad ornatum veſtimentorum, ædificiorum nimiamque elegantiam. Per *ſuperbiam vite*, intelligit Aug. omne genus arrogantix, faſtus & deſpectus aliorum.

PARS QUARTA.

De Charitate erga proximum.

Eodem ordine hinc procedemus quo jam de charitate erga Deum & erga nos egimus, hoc eſt, de charitate erga proximum oſtendemus I. Ad quid obliget chari-

TRACT. III. DE CHARIT. 112
tas erga proximum. 2. Quæ vitia sint illi
opposita.

CAPUT I.

Ad quid obliget Charitas erga proximum.

NOta actus charitatis erga proximum,
alii sunt interiores solum, alii interio-
res simul & exteriores.

Actus interiores charitatis erga proxi-
mum sunt illi quibus bonum salutare pro-
ximo, & petimus à Deo, & ei opta-
mus.

Actus interiores simul & exteriores sunt
illi quibus ex affectu charitatis bonum pro-
ximo nedum petimus à Deo eique optamus;
sed etiam facimus, v. g. eleemosinam cor-
poralem impendendo, correctionem adhiben-
do, bonis exemplis prælucendo. De quibus
omnibus sigillatim agendum.

ARTICULUS I.

*De Actibus interioribus Charitatis erga
proximum.*

PROPOSITIO. I. Quilibet homo tene-
tur actu interiori & positivo proximum
diligere, & ei velle bonum spirituale in or-
dine ad beatitudinem.

Probatur 1. Scripturâ. Christus apud
Math. 22. v. 37. sic charitatem nostram er-
ga Deum & proximum ordinat. *Diliges Do-
minum Deum tuum ex toto corde tuo...* Pro-

ximum tuum sicut te ipsum. Atqui debemus ex dictis diligere nos in ordine ad beatitudinem : ergo & debemus proximum diligere in ordine ad beatitudinem ; optando scilicet ei & procurando media quibus ad Deum , qui est nostra beatitudo , deducatur.

Probatur 2. Ex Aug. *Beati prorsus omnes esse volumus*, inquit lib. 10. liber. arb. cap. 21. *Ad hoc bonum debemus, & à quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere.* lib. 10. de Civ. cap. 4. Ergo debemus diligere proximum , eique beatitudinem super naturalem optare , & quantum in nobis est procurare.

Probatur 3. Ratione. 1 Ratio. Charitas erga proximum est virtus , virtus autem est propter operationem : ergo charitas erga proximum non potest semper esse sterilis , sed aliquando debet in actum erumpere : & quia diligere est velle bonum conforme nature , quæ diligitur , si verè diligamus proximum , debemus ei beatitudinem , & bona conducentia ad beatitudinem optare. *Ille enim*, inquit Aug. serm. de temp. aliàs 256. nunc 336. c. 2. *Veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo.*

2. Ratio. Debemus proximum diligere , sicuti Deus dilexit nos , juxta illud Joan. 14. v. 11. *Chrissini, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere* : Atqui Deus dilexit nos actu interiori & positivo , ordinando nos ad beatitudinem æternam , & conferendo media conducentia ad illam ,

juxta illud Jerem. 31. v. 3. *In charitate perpetuâ dilexi te, & ideo attraxi te miserans* : Ergo debemus proximum actu interiori & positivo diligere, optando ei beatitudinem, & media conducentia ad illam.

Ubi diligenter adverte, quod amor Dei & amor Christi erga nos debet esse regula amoris nostri erga proximum... Et proinde quod sicut Deus & Christus ita diligunt homines ut velint sincerè eorum salutem æternam, ita & nos debemus salutem æternam proximi & optare, & quantum in nobis est procurare.

Conseſtaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM. I. Peccaret, qui numquam proximum suum actu interno diligeret, optando ei beatitudinem & media conducentia ad beatitudinem, quia nullum eliceret actum charitatis erga proximum. Ideo damnata est hæc propositio ab Inno. XI & à Clero Gallic. art. 5. *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.* Et quidem meritò, si enim Scripturam consulas, nullum sanctum invenies, qui occasionem proximo bene faciendi ardentè non quaesierit, & oblatam avidè non susceperit. Sic cum Abraham intellexisset à Deo Sodomam subvertendam, ex charitate erga proximum ait ad Deum, *numquid perdes justum cum impio.* Gen. 18. Sic Moyses videns Deum iratum contra populum ob commissam idololatriam, ex charitate incensus, ait; *Cur Domine irasſitur furor tuus super populum...* Esto plac-

*bilis super nequitia populi . . . Aut dimitte illis
hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scrip-
sisti.* Exod. 32. ? Quam non exhibuit charitatem
David erga Saulem persecutorem, erga Ab-
salonem rebellem ? Quam misericordiam non
exhibuit Tobias erga concaptivos ? Divus
Paulus erga Christianos ? Hic omnibus om-
nia factus est, ut omnes lucri faceret de-
mum. Quam non exhibuit Christus charita-
tem erga nos omnes ? Tradidit enim semetip-
sum pro nobis.

CONSECTARIUM. II. Peccaret qui
nullum eliciens actum internum erga pro-
ximum, solis actibus exterioribus contentus
esset; actus enim illi exteriores emanantes
ab alio principio quam à charitate, non suf-
ficiunt ad observationem præcepti charitatis.
Unde ait Petrus; *in fraternitatis amore sim-
plici ex corde invicem diligite.* 1. Petri cap. 1.
v. 22. & Paulus ait, *nemini quidquam de-
beatis nisi ut invicem diligatis.* ad Rom. 13.
v. 8. Ideo damnata est hæc propositio ab
Inno. XI & à Clero Gall. art. 5. *Præcepto
proximum diligendi satisfacere possumus per so-
los actus externos;* Deus enim & Christus di-
ligunt nos, non amore solum externo, sed
interno & sincero, exiguntque ut simili amo-
re proximum diligamus. Pessima exempla so-
lius illius externi & fallacis amoris erga pro-
ximum habes. 1°. In Labano erga Jacob. ait
*illi Laban inveniam gratiam in conspectu tuo:
experimento didici quia benedixit mihi Deus
propter te.* Gen. 31. v. 27. Et interim dolo-
sè agebat contra illum, immutavit enim
mercedem decem vicibus. gen. 31. v. 42.

2°. In Saule erga David, spondet ei fraudulenter filiam suam in uxorem mediantibus centum præputiis Philistinorum *Saul autem reputabat dicens, non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philistinorum.* 1. Reg. cap. 18. v. 18. 3°. In Absalone erga Ammonem quem vocat ad convivium, & inter epulas trucidat. 2. Reg. cap. 13. v. 23. 4°. In Joab erga Abner; *Aduxit eum ad medium portæ ut loqueretur ei in dolo, & percussit illum ibi in inguine* 2. Reg. cap. 3. v. 27.

CONSECTARIUM III. Peccant, qui diligunt proximum actu positivo & effectivo, sed carnali solum, ei optando, vel procurando bona temporalia sine ordine ad salutem æternam; amor enim noster erga proximum, non aliò debet tendere quàm ad beatitudinem. *Non enim inquit Aug. tract. 1. In epist. Joan. Dilectio nostra carnalis esse debet. . . Sic dilige inimicos tuos ut fratres optes, sic dilige inimicos tuos, ut in societatem tuam vocentur; sic enim dilexit ille qui pendens in cruce ait, Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt.*

CONSECTARIUM. IV. Peccant, qui non nituntur proximo ad Deum adducere; quia non eliciunt debitum actum charitatis erga proximum, etenim sicut tenemur nobis ipsis procurare media conducentia ad salutem, ita & proximo, *sic ergo & nos invicem diligamus,* inquit Aug. *Ut quantum possumus invicem ad habendum in nobis Deum curâ dilectionis attrahamus.* Tract. 65. in Joan.

CONSECTARIUM. V. Peccant, qui nullis amoris affectibus moventur erga pe-

catores , erga pœnitentes ; erga justos ; si enim charitas Christi urget nos , debemus omnes omninò homines brachiis charitatis amplecti ; nam sumus omnes creature unius & ejusdem Dei , filii ejusdem Patris , actu , vel potentiâ , domestici ejusdem Ecclesiæ , membra ejusdem Christi , & demum in spe heredes ejusdem regni : ergo debemus omnes , & desideriis optare & precibus à Deo postulare fidem quâ illuminentur infideles , gratiam quâ convertantur peccatores , & auxilium quo justii in justitiâ finaliter perseverent : ut simus omnes ex numero eorum , de quibus loquitur Paulus ad Rom. 8. v. 30. *Quos autem prædestinavit , hos vocavit : quos vocavit , hos & justificavit : quos autem justificavit , illos & glorificavit.* Ut simul aliquando regnemus cum patre qui nos creavit , & filio qui nos redemit , & Spiritu Sancto qui in nos effusus est , quò tendit præceptum charitatis erga proximum. Totum illud ita explicat Aug. lib. 1. de Doct. Christ. cap. 29 *Velle debemus , inquit , ut omnes diligant nobiscum Deum , & totum quod vel eos adjuvamus , vel adjuvamus ab eis , ad unum illum finem referendum est , idque explicat exemplo isto. Si enim , inquit , in theatris nequitie qui aliquem diligit histrionem , & tamquam magno , vel etiam summo bono ejus arte perfruitur , omnes diligit qui eum diligunt secum , non propter illos , sed propter eum quem pariter diligunt ; & quanto est in ejus amore ferventior : tanto agit quibus potest modis ut à pluribus diligatur & tanto pluribus cupit eum ostendere , & quem frigidiorum videt*

excitat eum quantum potest laudibus illius. Si autem invenerit contravenientem odit in illo vehementer odium dilecti sui, & quibus modis valet, instat ut auferat. Quid nos in societate dilectionis Dei agere convenit, quo perfrui beatè vivere est, & à quo habent omnes qui eum diligunt & quod sunt & quod eum diligunt, de quo nihil metuimus ne cuiquam possit agnitus displicere, & qui se vult diligi, non ut sibi aliquid, sed ut eis qui eum diligunt, æternum præmium conferatur, hoc est ipse quem diligunt.

PROPOSITIO II. Charitas nostra erga proximum debet se extendere ad omnes creaturas intellectuales capaces beatitudinis supernaturalis.

Probatur 1. Script. Ex 1. Joan. cap. 4. v. 21. *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum; diligat & fratrem suum;* atqui omnis creatura intellectualis loco fratris habenda est, quia nobis similis est per naturam, & similior potest fieri per gratiam: ergo charitas nostra debet se extendere ad omnes creaturas intellectuales capaces beatitudinis supernaturalis; & ita, omnes homines viatores, omnes animæ beatæ, omnes Angeli sunt à nobis diligendi, & solos damnatos possumus à charitate nostra excludere.

Probatur 2. Ex Aug. lib. 1. de Doct. Christ. cap. 3. *Cum dicitur, diliges proximum tuum sicut teipsum, manifestum est omnem hominem proximum esse deputandum:* & ibidem ait sanctos Angelos eo præcepto contineri: ergo charitas nostra debet se extendere ad omnes creaturas intellectuales capaces beatitudinis.

3. Ratione Charitas nostra ergo proximum eò tendit, ut beatitudinem supernaturalem velimus proximo: ergo debet se extendere ad eos omnes qui sunt capaces beatitudinis. Quod fit utique hoc pacto. Lætamur cum his qui eam felicitatem possident. Optamus eam his qui eam non possident. Viatores quantum in nobis est ad supremam illam felicitatem ducimus. Comprehensores ad eam pervenisse gestimus.

Conseclaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Peccant, qui solis affectibus naturalibus ducti, ab amore suo eos excludunt quibuscum, aut propter naturales quosdam defectus, aut morum contrarietatem, aut occultam aliquam antipatiam non conveniunt; nam omnes homines quantum cumquè moribus nobis dissimiles nobisve onerosos loco proximi habere debemus. Unde Paulus ad Galat. 6, v. 2. ait, *alter alterius onera portate; & ipse omnibus omnia factus est, ut omnes Christo lucrifaceret.* ut habetur 1. Cor. 9, v. 6. neque enim Christianus, ut idem docet Paulus ad Philip. 2, v. 2. in amore suo considerare debet, *que sua sunt, sed ea que aliorum.*

C O N S E C T A R I U M II. Peccant, qui indiscreto zelo animati peccatores ab amore suo excludunt; licet enim sint peccatores, non tamen desinunt esse proximi, amandi in ordine ad salutem, sed odio habendum peccatum quo à salute abducuntur. *Omnis peccator,* inquit, Aug. lib. 1. de Doct. Christ. cap.

cap. 27. *In quantum peccator est, non est diligendus: & omnis homo, in quantum homo est, diligendus est propter Deum. Etsi enim, inquit Greg. indignationem debeamus vitiis, compassionem tamen debemus naturæ. Sic salvo recto dilectionis ordine, peccatorem & diligimus & odio habemus. Amor, inquit, D. Thom. 2. 2. q. 34. a. 3. debetur proximo secundum quod habet à Deo, id est secundum naturam & gratiam, non autem secundum id quod habet à se ipso & Diabolo, seu secundum peccatum & justitiæ defectum: & ideo, licet odio habere peccatum in peccatore, & omne illud quod pertinet ad defectum Divinæ justitiæ, sed ipsam naturam & gratiam patris non potest aliquis odio habere sine peccato. Hac distinctione explicantur imprecationes scripturarum, contra peccatores v. g. *convertantur peccatores in infernum*, ita ut sensus sit, inquit D. Thom. 2. 2. q. 26. a. 6. ad 3. ut ea verba sint verba prophetantis, & non optantis, vel si optantis, referantur non ad pœnam peccatoris patientis, sed ad justitiam Dei punientis, vel si referatur ad peccatorem, eò vergat ut desideremus interitum peccatoris, non quatenus homo est, sed quatenus peccator est.*

Quod Aug. paucis verbis ita explicat in Psalm. 138. v. 22. *perfecto odio oderam illos, Quid est perfectò odio? Oderam in eis iniquitatem eorum, diligebam conditionem tuam, id est quod à te acceperant: & Greg. hom. 37. in Evang. eandem veritatem ita explicat. Sic nimirum exhibere proximis nostris odii discretionem debemus, ut in eis diligamus quod sunt, & babeamus odio id, quod in Dei nobis itinere obstant.*

CONSECTARIUM. III. Peccant, qui inimicos ab amore suo excludunt, licet enim inimici sint, tamen loco proximi habendi sunt, & ex speciali Christi præcepto diligendi, ita enim habet supremus ille Legislato: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persecquentibus & calumniantibus vos; quod ut pateat, rem distinctiùs explicemus.*

Inimici nostrorum criminum, quales sunt ist qui nos arguunt, increpant, à vitiis removent, audiendi sunt, eisque potiùs quam fraudulentis amicis obtemperandum. *Fili mi, inquit Sapiens, Prov. I. v. 10. si te lactaverint peccatores, ne acquiescas illis. Et rursus cap. 13. v. 18. Egestas & ignominia ei qui deserit disciplinam, qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur.*

Inimici nostræ salutis, quales sunt hi, qui nobis pariunt scandalum sunt, fugiendi. Si, inquit, Sapiens, peccatores dixerint tibi prov. 1. v. 11. *Veni nobiscum, insidiamur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra, deglutiamuseum sicut infernus viventem...* *Fili mi ne ambules cum eis; prohibe pedem tuum à semitis eorum.* Et Petrus Act. 2. v. 38. ad Judæos dicebat. *Pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi...* *Salvamini, id est recedite à generatione istâ pravâ.* Sic Abraham eductus est de Ur Chaldeorum, ne periret cum illis idololatri Gen. 12. Loth eductus est ab Angelo è Sodoma ne periret in scelere civitatis. Gen. 19. & Judæi obedientes recesserunt à tabernaculis impiorum, *ne involverentur in*

peccatis eorum. Num 16. v. 26.

Inimici verò vel vitæ nostræ, vel famæ, vel fortunæ sunt tolerandi; non exasperandi injuriis, sed emolliendi benefactis. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Rom. 12. v. 21. Amor Dei & Christi erga nos, debet esse regula amoris nostri erga hujusmodi inimicos, Eisque ista debemus. 1°. Qui est laesitatus debet inimici conversionem & optare, & eam à Deo precibus postulare: optat enim Deus conversionem peccatoris. *Vivo ego dicit Dominus: nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat.* Ezech. 33. v. 11. 2°. Debet inimicum veniam petentem sponte & benigne excipere, uti facit Christus. *Eum, inquit, qui venit ad me, non ejiciam foras.* Joan 6. v. 37. Et alloquens Petrum & nos omnes ait, *non dico tibi ut parcas usque septies, sed usque septuagesies septies.* Math. 18. v. 22. 3°. Debet per se vel per alium offerre inimico reconciliationem, si speret futurum, ut id ad ejus conversionem inserviat. Id enim præstat Deus erga peccatores, quos semper ad penitentiam adhortatur, & quibus etiam si pertinacissimis gratiam offert: *Ecce, inquit, sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Apoc. 3. v. 20. & Prover. 18. 26. *Præbe fili mi cor tuum mihi.* 4°. Non potest negare reconciliationem inimico veniam petenti, nec communia amoris indicia, imò nec specialia; cum hinc nasceretur scandalum, vel obex poneretur, quo retardaretur conversio inimici.

Qui verò injustè offendit proximum, debet. 1^o. vel per se, vel per alios reconciliationem postulare. 2^o. Condignam satisfactionem offerre & exhibere; ea enim omnia exigit ordo charitatis & justitiæ. 3^o. Decens est ut qui offensus est, condonet injuriam, non rigidam exigens satisfactionem. Ea omnia observata cernimus in reconciliatione inita inter Joseph & fratres ejus post mortem Jacob. Primò enim fratres, qui Joseph offenderant petierunt tum per se tum per alios reconciliationem. *Mandaverunt enim inquit Script. Gen. 50. v. 16. ad Joseph, dicentes pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te: nos quoque oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc.* 2^o Debitam satisfactionem, & obtulerunt, & exhibuerunt, ut testatur Scriptura ibid. v. 18. *Veneruntque ad eum fratres sui: & proni adorantes in terram dixerunt: servi tui sumus* 3^o. Joseph omnem injuriam benignè condonavit; etenim, auditis nunciis fratrum, *flevit, & ipsis fratribus dixit nolite timere, ego pascam vos & parvulos vestros, consolatusque est eos, & blandè ac leniter locutus est.*

CONSECTARIUM. IV. Peccant, qui animas in purgatorio existentes ab amore suo excludunt; nam quamvis à nobis incolatu absint, non tamen à nobis charitate separantur, sed nobis intimè per Christum uniantur, proinde debemus eas nostris sus-

fragiis adjuvare : suffragia enim prodesse mortuis testatur Aug. lib. 1. de cura pro mortuis cap. 4. Illud idem confirmat lib. Conf. cap. 12. Ubi aſſerit Monicam matrem suam petiisse, ut pro ipsa offerretur missæ sacrificium. Media autem quibus possumus animabus in purgatorio existentibus opitulari, sunt quàm plurima.

1°. Sacrificium altaris; ^{ex} ipsomet exemplo Judæ Machabæi, qui pro peccatis eorum, qui in prælio ceciderant, jussit offerri sacrificium, sic concludens : *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* 2. Mach. 12. v. 46.

2°. Eleemosina, ut patet exemplo Tobix, qui filium sic præcipiendo alloquebatur. Tob. 4. v. 18. *Panem tuum & vinum super sepulturam justi constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus, uti faciunt pagani, sed potius ea largire pauperibus in solatium defuncti, & mortuo non prohibeas gratiam.* Eccli. cap. 7. v. 37.

3°. Pœnalibus operibus, qualia sunt jejunia, orationes, &c. Hoc enim juxta Ephrem & Dyonisium Carth. videntur innuere ista verba Pauli. 1. ad Corint. 15. v. 29. *Alioquin quid facient qui baptisantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? Ut quid baptisantur pro illis.* Hæc enim verba sensum hunc faciunt, inquit Estius in Paulum : Frustra quidam pro mortuis juvandis orando, jejunando & alia quædam dura subeundo se fatigant & affligunt, si mortuū non resurgunt, ita inquit Carthusianus, Catharinus, alique non nulli . . . Sed ipse Es-

tius hanc expositionem improbens, aliam addit non longè dissimilem; ait enim consuetudine receptum apud Judæos, ut si quis legaliter immundus moreretur, priusquam ab ea immunditia ablutus esset; alius quispiam pro eo baptisaretur, id est, lavaretur, quod existimarent hujusmodi lotionem proficere mortuo ad emundationem; ergo in Synagogâ is vigeat usus, ut viventes pro mortuis sublevandis affligerentur; idem à fortiori fieri debet à Christianis, qui credunt purgatorium.

CONSECTARIUM. V. Peccant hi qui Angelos animasque beatas in suo amore affectivo non includunt; licet enim à nobis distant incolatu, non tamen absunt famulatu; etsi nos viatores, illi verò comprehensores; sumus tamen ejusdem Dei creaturæ, ejusdem Christi servi, unius & ejusdem Ecclesiæ cives: Ecclesia enim in cælis regnans, in purgatorio patiens, in terris pugnans, unum & non multiplex corpus constituit, ejus Christus est caput; ergo oportet inter viatores & comprehensores charitatis affectibus sanctum foveri commercium. Dumque sancti cumulant nos beneficiis, debemus nos gratiarum actiones pro acceptis officiis exhibere; dumque illi amorem beneficium impendunt, debemus nos amorem affectivum rependere. Quamdiu illi in monte constituti, levant manus ad Deum, dum pugnamus contra dæmones, ut olim manus levabat Moyses, dum populus pugnaret contra Amalech, debemus nos adjutores nostros interdum invocare. Demum si Scripturâ ref-

te, gaudium fit in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente, gaudium debet esse in terris super cœtu beatorum immobiliter Deo fruuentium... Vide infra de cultu erga sanctos.

ARTICULUS. II.

De Eleemosinâ corporali.

§. I.

Explicatur quid sit eleemosina corporalis, simulque variè traduntur notiones ad intelligentiam eorum necessariae, quæ de eleemosina dicturi sumus.

Eleemosina corporalis latè sumpta actum omnem significat, quo proximo corporaliter egenti, corporaliter succurrimus, vel nutriendo, dum eget, vel vestiendo, dum est nudus, vel redimendo, dum est captivus, vel hospitio recipiendo, dum caret, vel visitando, dum ægrotat aut detinetur in carcere, vel denique sepeliendo, dum est mortuus. Unde hic versiculus.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Eleemosina strictè sumpta eam opem significat, quæ ex superfluis nostris, seu rebus nobis non necessariis corpoream proximi necessitatem levamus, vel ei dando quod possumus, vel commodando & mutuum dando, vel denique debita, dum in infortunium incidit, condonando.

Unde eleemosina in duobus fundatur, in superfluo divitum, & necessitate pauperum.

Superfluum est multiplex; superfluum naturæ; superfluum conditionis.

Superfluum naturæ est illud, sine quo homo se ipsum & suos alere potest & vestire, sine quo potest honestam habere sustentationem.

Superfluum conditionis est illud, quod non est necessarium statui & conditioni conservandæ, juxta regulas Evangelicas. Necessitas in paupere est multiplex, extrema, gravis, & vulgaris.

Necessitas extrema est ea, in qua pauper brevi est moriturus, aut casurus in morbum, vel deliquium, nisi ei succurratur.

Necessitas gravis est ea, quâ pauper cadet è suo statu, & insignitèr deprimetur, nisi ei succurratur.

Necessitas vulgaris seu communis est ea, quâ laborant ut plurimum mendicantes, etiâ tempore quo sterilitate terra non affligitur.

§. II.

An eleemosina sit de consilio vel de præcepto.

PROPOSITIO. Unica. Eleemosina est in quibusdam casibus non tantum de consilio, sed etiâ de præcepto.

Probatur 1. Script. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra, Deut. cap. 15. v. 11.

Declina pauperi sinè tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum. Eccle. cap. 4. v. 8. si eleemosina sit debitum, non est solum consilium.

Christus in fine mundi dicturus est reprobis: *Ite maledicti in ignem æternum; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitiivi, & non dedistis mihi potum.* Math. cap. 25. v. 42. Itaque cum nemo damnetur ob solam omissionem eorum quæ, sunt tantum de consilio, & homines damnentur ob omissionem eleemosinam, dare eleemosinam non est tantum de consilio, sed etiam de præcepto.

In exemplum hujus veritatis afferri potest incendium Sodomitarum, & detrusio divitis in infernum. Scriptura quippè hæc supplicia in omissionem eleemosinæ refundit. Ezech. 16. v. 49. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus, & manum egeno & pauperi non porrigebat. Item mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Luc. 16. v. 22. Scilicet ob duritiam suam erga pauperes, ut explicat Chrysologus serm. 121.

Probatur 2°. Ex Gregorio Naz. *An tu benignitatem seu beneficentiam in pauperes, non necessariam, sed tibi liberam esse putas? An non legem, sed consilium? Hoc quoque ipse magnoperè vellem & existimarem, sed me sinistra illa manus terret, & hædi & probra, que ab eo, à quo sunt illic collocati, conjiciuntur; non quiâ manus in aliena bona intulerunt, nec quiâ templa diripuerunt, sed quiâ Christum in pauperibus, seu per pauperes minimè curaverunt.* Greg. Naz. Orat. 16.

Probatur 3°. Ratione. 1. Ratio. Homines debent se mutuo juvare, sicuti juvant se

mutuò membra unius & ejusdem corporis ; omnes enim procedimus ab eodem creatore Deo , nascimur ab eodem parente Adamo , regeneramur spiritualitèr in eodem salvatore Christo , vivimus in eadem domo , nimirum Ecclesia ; ad quam omnes homines vocantur : constituimus unum & idem corpus morale sub uno , & eodem capite Christo Jesu , vocati ad eandem hæreditatem , gloriam nimirum æternam. Creaturæ ergò ejusdem Dei , Filii ejusdem Patris domestici ejusdem Ecclesiæ , membra ejusdem corporis , cohæredes ejusdem gloriæ , tenemur inviolabili lege mutuò nobis suppetias ferre. Idèò dicit Christus : *Charitatem , quam dedisti mihi , dedi eis , ut sint unum , sicut & nos unum sumus.* Joan. cap. 17. v. 22. Idèò dicit Paulus ad Galat. 5. v. 2. *Alter alterius onera portate , mutuò scilicet juvando vos.*

Exemplum hujus mutuæ charitatis exhibuit Ecclesia Jerusalem. *Multitudinis autem credentium erat cor unum , & anima una. Nèc quisquam eorum quæ possidebat , aliquid suum esse dicebat ; sed erant illis omnia communia ,* Act. cap. 4. v. 32. Nequè enim quisquam egens erat inter illos. Hoc exemplo stimulati debent modò Christiani mutuis se officiis juvare , diligentes se in veritate. *Filioli mei non diligamus verbo , nequè lingua , sed opere , & veritate.* 1. Joan. 3. v. 18.

2. Ratio. Omnes homines naturà suâ sunt æquales , sed Deus voluit , ut homines essent conditione inæquales , ut illâ inæqualitate positâ , inopes subsidium ac-

ciperent à divitibus, & divites occasionem sanctificationis invenirent in pauperibus. Idcirco dicit Chrysostomus; quod vir dives se gerere debeat ad instar quæstoris cuiuspiam, qui ab ipso Deo pecunias pauperibus erogandas acceperit; quapropter si majorem ejusmodi pecuniarum copiam, quam poscat sua ipsius necessitas, suos in usus convertat, se gravissimè plectendum esse noverit. serm. 2. de Laz. Dispensator autem tenetur ex officio, non solum ex consilio bona commissa dispensare juxta beneplacitum Domini. Tenentur itaque divites ex præcepto in eleemosinas impendere bona ipsis superflua. Exemplum hujuscè rationis à Deo exigendæ indicat parabola de villico, cui dicitur; *Redde rationem villicationis tue.* Constat igitur quod eleemosina non est tantum de consilio, sed etiam de præcepto: non justitiæ, adeò ut omittens dare eleemosinam, teneatur ad restitutionem, sed charitatis, adeò ut gravitèr peccet qui negligit dare eleemosinam, quando tenetur dare, quia, ut docet D. Thom. *Dare eleemosinam proprie est actus misericordie, & non justitiæ.* 2. 2. q. 32. a. 1. in corpore.

Conseſtaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM. I. Christianus quilibet tenetur coram Deo, vel solus, vel cum confessorio, vel cum erudito aliquo Doctore determinare, quid sibi necessarium, quid sibi superfluum; ut utatur necessariis, &

largiatur superflua ; quia , ut ait Aug. in psal. 147. *Superflua divitum , necessaria sunt pauperum , res alienae possidentur , cum superflua possidentur.*

CONSECTARIUM. II. Confessarius tenetur manifestare poenitentibus suis , quo sine Deus illis bona temporalia concesserit ; juxta illud Pauli 1. ad Timoth. cap. 6. v. 17. *Divitibus hujus saeculi praecipe , non sublime sapere , neque sperare in incerto divitiarum ; sed in Deo vivo , qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum , bene agere , divites fieri in operibus bonis , facile tribuere , communicare , thesaurisare sibi fundamentum bonum in futurum , ut apprehendant vitam eternam.*

CONSECTARIUM III. Constat quod Pauci sunt homines , qui non teneantur praeccepto faciendi eleemosinam , quia pauci sunt qui in aliqua re indigenti proximo succurrere non valeant. *Quomodo potueris , ita esto misericors ; si multum tibi fuerit , abundanter tribue ; si exiguum tibi fuerit , etiam exiguum impertiri libenter stude.*

§ III.

Quandonam urgeat praecceptum eleemosinae.

PROPOSITIO. I. Ut praecceptum dandi eleemosinam urgeat , duo requiruntur. Primum ut sit superfluum in dante , secundum ut sit necessitas in recipiente ; superfluum , inquam , vel in natura , vel in conditione ; necessitas vero vel extrema , vel media , vel vulgaris. Probatur

Probatnr 1°. Script. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauerit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in illo.*

1. Joan. cap. 3. v. 17. Ubi Apostolus duo exigit ad eleemosinam, superfluum in diuite, & necessitatem in paupere.

Probatnr 2° Ex Basilio, in hæc verba, destruat horrea mea. *Cur tu abundas, ille verò mendicat, nisi, ut tu bonæ dispensationis merita consequaris; ille verò pœnitentiæ brauiis decoretur. Est panis famelici, quem tu tenes; Nudi tunica, quam tu in conclavi seruas, discalceati caecus, qui penes te marcescit; indigentis argentum, quod possides inhumatum, quo circà tot injuriaris, quot dare vales. Tunc ergò eleemosina est in præcepto; quandò dives abundat, & pauper esurit, ut superfluum unius suppleat necessitatem alterius.*

Probatnr 3°. Ratione. Finis eleemosinæ est, ut abundantia unius repararet indigentiam alterius: ergò tunc tantum eleemosina erit in præcepto, quandò superfluum est in dante, & necessitas in recipiente: & sicuti in corpore humano finè magistro, & naturâ solâ duce, pars sana infirmam iuvat, retento tamèn sibi necessario: ità qui dives est, sic pauperem iuvare debet, ut necessarium sibi retineat.

Ex quo constat 1°. Quod eleemosina debet fieri de superfluis juxta illud Christi: *quod superest dato.* 2°. Quod eleemosina passim non debet fieri de necessariis, juxta illud Pauli. *Dare non ut alijs sit remissio, vo-*

124 MORALIS CHRISTIANA.
bis autem tribulatio, sed ex æqualitate. 2. ad
Corint. cap. 8. v. 13.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM. I. Peccaret gravitèr qui nunquàm daret superflua naturæ, etsi aliundè necessaria conditioni, quia aliquandò eleemosina debet fieri de superfluis naturæ, etiamsi statui necessariis. Ità videtur docere Hyeroni. Epist. ad Hedibiam 2. cap. 2. *Præceptum est, ne cogitetis de crastino: si plus habes quàm tibi ad victum, vestimentumquè necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem te esse noveris.*

CONSECTARIUM. II. Peccaret gravitèr qui nunquàm daret superfluum conditioni, sed quæcumquè haberet ea cupidè retineret, vel ut frueretur illis bonis, vel ut ad altiorem statum ambitiosè conscenderet, quia aliquandò eleemosina debet fieri de superfluis statui.

Dives, inquit Cajet. Non dispensans superflua, (non solùm illicitè agit propter libidinem dominandi, & inordinatum amorem pecunie; sed mortaliter peccat contra proximorum indigentiam, occupando superflua, quæ pauperibus debentur, ex hoc ipso quod sunt superflua. In 2. 2. q. 118. a. 4.

MONITUM. Etsi sit difficile admodùm determinare præcisè quæ sint superflua; sequentia tamèn ab omnibus haberi debent, ut non necessaria, & proindè ut debita pauperibus.

1º. Bona quibus vulgò utimur ad peccan-

dum, v. g. argentum quod infumimus ad fovendam libidinem, ebrietatem, ambitionem, &c. Quia divitiæ non nobis datæ sunt ut Deum offendamus.

2°. Bona quibus vulgò utimur ad delicias, vel vetitas, vel ad minus periculosas, v. g. ad comædias, ad choreas, comestiones, ludum; quia bona temporalia non data sunt nobis à Deo, ut exponamus nos periculo peccandi.

3°. Bona quibus vulgò utimur, ut finè vocatione cùm salutis dispendio ad statum altiorem ascendamus; quia bona temporalia non data sunt, ut sint nobis occasio perveniendi ad statum, cui Deus non nos suâ vocatione destinavit.

4°. Bona quæ ex incuriâ perire permittimus, v. g. frumentum quod in horreo corrumpitur; vinum quod in cellâ acefcit; victualia quæ in domo putrescunt; vestimenta quæ tineis consumuntur, &c.

CONSECTARIUM. III. Nullus debet facere eleemosinam ex bonis simpliciter necessariis ad conservandam vitam, tum propriam, tum illorum qui ad ipsum pertinent, quia eleemosina non debet fieri de necessariis. *Inordinatum esset autem, si aliquis tantum de propriis bonis sibi subtraheret, ut aliis largiretur, quod de residuo non posset vitam transigere convenienter secundum proprium statum, & negotia occurrentia; nullus enim inconvenienter vivere debet; sed ab hoc tria sunt excipienda, quorum primum est, quando aliquis ingreditur religionem omnia relinquens propter Christum. 2°. Quando de facili sperat resarci-*

re necessaria quæ largitur. 3°. Quando est extrema necessitas. 2. 2. q. 32. a. 6,

CONSECTARIUM IV. Quando duo sunt in æquali necessitate, si sint æqualis dignitatis, & utilitatis reipublicæ; neuter obligatur sibi subtrahere necessarium naturæ, ut alteri largiatur; quia eleemosina non debet fieri de necessariis, nisi fortè, ut docet D. Thom. *Talis casus immineret, ubi subrahendo sibi necessaria, daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel respublica sustentaretur; quia pro talis personæ liberatione, se ipsum & suos laudabiliter periculo mortis exponeret, cum bonum commune sit proprio præferendum. 2. 2. q. 32. a. 6.*

§. IV.

Ad quid teneantur divites in extrema pauperum necessitate.

PROPOSITIO. I. Quando pauper est in extrema necessitate constitutus, dives cui sufficienter innotescit extrema hujus pauperis necessitas, tenetur ei eleemosinam impertiri ex superfluis suæ conditionis.

Probatur 1°. Script. *Quod superest date eleemosinam.* Luc. cap. II. v. 41. Ergò saltè rogandum est quod superfluum est conditioni.

Probatur 2°. Ratione. Charitas benè ordinata exigit ut vitam proximi nostris bonis temporalibus præferamus, quia quò res est excellentior, eò pluris est facienda. Patet autèm, quod si dives non daret superflua conditioni egeno in extrema necessitate conf-

tituto ; non præferret vitam proximi bonis temporalibus ; proindè dives tenetur dare bona superflua conditioni pauperi in extrema necessitate constituto. Et sicuti membrum sanum , sola naturâ duce , nunquàm denegat sibi superfluum membro infirmiori , à fortiori homines sub gratiâ constituti , tenentur ex superfluis suæ conditionis , suppetias ferre pauperibus in extrema necessitate constitutis , hoc est , quod Paulus suo exemplo docuit ; *quis infirmatur , & ego non infirmor ? Quis scandalisatur , & ego non uror ?* 2. Corinth. II. v. 29.

Consectaria hujus doctrine.

CONSECTARIUM, I. Peccant divites qui pauperibus in extrema necessitate constitutis non opitulantur ; sed bona sua temporalia impendunt in sequentes usus ; in lautissimas epulas , in splendidas vestes , in lusus immoderatos , in comœdias , in lascivias , in choreas , in venationes excedentes , in ædes ultrâ statum & conditionem magnificentiores , in supellectilia longè quàm patet pretiosiora , & in alia hujusmodi quæ homines excogitarunt potiùs ut cupiditatem acuerent ; quàm ut servirent necessitati ; quia hi omnes non dant cum oportet superflua conditioni , quos ita alloquitur Scriptura : *Væ qui opulenti estis in Sion... Qui dormitis in lectis eburneis , & lascivitis , in stratis vestris , qui comeditis agnum de grege , & vitulos de medio armenti , qui canitis ad vocem psalterij sicut David... Bibentes vi-*

num in phialis, & optimo unguento delibuti? Et nihil patiebantur super contritione Ioseph.
Amos. cap. 6. v. 4.

CONSECTARIUM. II. Peccant graviter divites qui in eadem necessitate nullâ moti misericordiâ, divitias suas recondunt, frumenta reservant, vendere renuunt, donec ad extremam caritatem annona pervenerit; qui ingravescente miseriâ bona temporalia pauperum viliori emunt pretio; quicquid demum extremâ utuntur miseriâ pauperum, ut ditiores evadant. . . . Hi omnes graviter peccant, quia pauperes non juvant, sed potius gravant; quos omnes ita commonet Scriptura: *Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone Thesaurum tuum in præceptis altissimi, id est in elemosinis, & proderit tibi magis quam aurum:* Eccl. cap. 29. v. 13. *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium.* Prov. cap. 11. v. 26. In ignem æternum detrudentur, inquit Chrysostomus, uti coguntur ipsi aliquandò putrefactum frumentum projicere, & verme perpetuo corrodentur, uti sinuerunt frumentum à curculione corrodi. Hos omnes elegantissimè insectatur Ambr. lib. 3. de Offic. cap. 6. ubi ostendit pravam illam cupiditatem, nequitiam esse, crudelitatem redolere, iram Dei & hominum excitare; concludit sic compellans avarum: *Lucrum tuum damnnum publicum est.*

CONSECTARIUM. III. Peccant divites qui in eadem necessitate nullam adli-

bent sollicitudinem, ut pauperibus in extrema necessitate constitutis succurratur, cum possent commodè, vel omnes capitatim, vel singuli privatim miseriam pauperum sublevare; quia non juvant pauperes, cum possunt, & debent. Eos ita exhortatur Scriptura: *Erue eos qui ducuntur ad mortem, sive ducantur oppressi paupertate, vel iniquo judicio, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses; si dixeris, vires non superpetunt, qui inspector est cordis ipse intelligit, & servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddet, quæ homini juxta opera sua.* Prov. c. 24. v. 11.

CONSECTARIUM. IV. Peccaret graviter Medicus, qui pauperem quem videret ab omnibus desertum, & quem conjiceret ab omnibus deserendum, gratis non inviseret... Peccaret & similiter Pharmacopola, qui pauperi in eodem miseriæ articulo constituto, remedia vulgaria gratis non exhiberet.

Peccaret similiter Advocatus, qui gratis non patrocineretur pauperi in extrema necessitate constituto... Peccaret denique quicumquæ posset succurrere tali pauperi, & non succurreret. D. Thom. 2. 2. q. 71 a. 1. *Advocatus non tenetur semper causæ pauperum patrocinium præstare; sed solum concurrentibus conditionibus prædictis; alioquin oporteret eum omnia alia negotia prætermittere, & solis causis pauperum juvandis intendere; & idem dicendum est de medico quantum ad curationem pauperum.*

CONSECTARIUM. V. Peccant graviter divites, qui in eadem necessitate renu-

unt dare eleemosinas , neque etiam mutuò dant nisi sub spe lucri , & in securitatem rei mutuatae rem pauperum usibus necessariam in pignus exigunt , ac diù retinent , aut alios excogitant modos , quibus non tam pauperibus opitulari student , quàm avaritiam suam fovere , hi bis peccant primò ob negatam eleemosinam , secundò ob usuram exactam , quòd quidem vitium Scriptura execratur , Deut. 15. v. 7. *Si unus de fratribus tuis ad paupertatem venerit , non obdurabis cor tuum , nec contrahes manum ; sed aperies eam pauperi . . . Nèc ages quippiam calidè in ejus necessitatibus sublevandis , ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore , & in cunctis ad quæ manum miseris.* Et Ibid. cap. 24. v. 12. *Sin autèm pauper est , non pernoctabit apud te pignus ; sed statim reddes ei antè solis occasum ; ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi ; & habeas justitiam coram Domino Deo tuo.*

PROPOSITIO. II. In illo ipso extremae necessitatis articulo , tenentur divites non solum superflua conditionis , ut dictum est , erogare pauperibus ; sed etiàm necessaria statui , minuendo scilicet aliquid ex iis quæ sunt aliquo modo necessaria ad retinendam status sui decentiam.

Probarur 1°. Script. *In presenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat , ut & illorum abundantia vestrae inopie sit supplementum , ut fiat equalitas , sicut scriptum est de illis qui colligebant manna. Qui multum , non abundavit & qui modicum non mino-
ravit.* 2°. Ad Corinth. cap. 8. v. 14. *Cum*

itaquè ex Apostolo debeat esse æqualitas inter divitem, & pauperem, unus non debet abundare superfluis, cùm alter eget necessariis; sed æquum est ut dives minuat, quæ ad decentiam status pertinent, ut pauperem penuriam in victu, & vestitu patientem, sublevet.

Probatur 2°. Ex Hieron. Epif. ad Hedi-
biam: *Si plus habes quam tibi ad victum & vestitum necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem esse te noveris*. Ergò à fortiori tenemur minuere quod pertinet ad status decentiam, ut fiat eleemosina pauperibus in necessitate extrema existentibus.

3°. Ex D. Thom. in 4. dist. 15. q. 2. a. 1. q. 4. Ubi ait, *præceptum legis obligat, quod etiã necessitati extraneorum absolutæ primò subveniatur, quàm necessitati propriæ, vel propinquorum conditionatæ*. Hic autem necessitatem naturæ vocat necessitatem absolutam, & necessitatem conditionatam, vocat necessitatem conditionis.

4°. Ratione. 1. Ratio. Debitus ordo postulat, ut corpus proximi magis quàm nostri status decentiam diligamus; quia ex Aug. Sic debet ordinari charitas, ut excellentiora vilioribus præferamus; idè debemus. 1°. Deum diligere. 2°. Animam nostram. 3°. Animam proximi. 4°. Corpus nostrum. 5°. Corpus proximi. Postremò ea quæ pertinent ad status nostri decentiam. Magis autem diligeremus status nostri decentiam, si nihil vellemus de ea minuere, ut succurreremus proximo, in victu & vestitu necessitatem extremam patienti. Neces-

sarium est ergò ut in tali necessitate eam minuamus,

2. Ratio. Non magis debemus diligere ea quæ pertinent ad status nostri decen-
tiam, quàm sanctiores Episcopi dilexerunt
ea quæ pertinent ad decus, & ornamen-
tum templorum, quia haud dubiè decor do-
mus Dei est præferendus decori, & orna-
mento hominum. Sanctiores autèm Episco-
pi; Exuperius, Ambrosius, &c. passim ven-
diderunt ornamenta Ecclesiæ v. g. Calices,
Cruces, ut illorum pretio pauperibus in ne-
cessitate constitutis succurrerent; quantò
magis decet nos minuere aliquid de his quæ
ad nostri status ornatum pertinent, ut pau-
peribus ad necessitatem extremam redactis
succurramus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM. I. Peccant divi-
tes qui in tali necessitate nihil minuunt de
canum venaticorum numero, de inutilium
servorum stipatu, de superborum supellec-
tilium apparatu. Hos ità alloquitur Greg.
Nicænus de pauperibus amandis. *Usui vi-
tæ modum imponite, ne omnia vestra existi-
mate: Sit pars etiàm pauperum, & amico-
rum Dei, illius enim verè sunt omnia; nos
autèm fratres sumus... Ille frater non est,
sed acerbus tyrannus, immitis, barbarus, imò
verè inexplebilis fera qui vult fratres ab he-
reditate avertere; imò & lupæ savior; lu-
pus enim socium habet in voranda præda.*

CONSECTARIUM. II. Peccant divi-

tes qui in eadem necessitate non modò non minuunt quod pertinet ad status decentiam; sed insupèr miseris illis temporibus adaugent expensas inutiles in lusibus, comœdiis, venationibus, &c. Hos ità admonet Aug. in psal. 147. *Multa superflua habemus, si non nisi necessaria teneamus; nam si inania queramus, nihil sufficit, fratres querite quod sufficit operi Dei, non quod sufficit vestre cupiditati.*

CONSECTARIUM. III. Peccant divites qui in eadem necessitate præ avaritiâ retinent divitias metu futuræ egestatis, sollicitiùs quàm par est in futurum providentes. *Non oportet, inquit D. Thom. Future necessitatis occasionem prætereundè ultrâ probabilia signa, quia hæc est superflua sollicitudo quam Dominus prohibet.* In 4. Dist. 15. q. 2. a. 1. q. 4. ad 4.

CONSECTARIUM. IV. Peccant divites qui in eadem necessitate præ ambitione nihil minuunt de pertinentibus ad status decentiam; sed divitias illas retinent, ut ambitiosè ascendant ad statum superiorem, ad quem vel parùm sunt idonei, vel fortè non sunt divinitùs vocati. *Bona temporalia (inquit D. Thom.) Que homini divinitùs conferuntur ejus quidem sunt quantum ad proprietatem, sed quantum ad usum, non solum debent esse ejus, sed etiàm aliorum qui ex eis sustentari possunt, ex eo quod ei superfluunt.* 2. 2. q. 32. a. 5. ad 2. Idèò damnatæ sunt sequentes propositiones ab Acadèmia Lovaniensi & Parisiensi, an 1657. *Superfluum non est quod homines servant pro status sui,*

vel parentum qualitate habitâ, vel adipiscendâ; ideòquè vix poterunt inveniri inter seculares, qui superfluum habeant.

PROPOSITIO. III. In extremæ necessitatis articulo tenentur divites non solum minuere aliquid eorum quæ conducunt ad conservandam status sui decentiam; sed tenentur insuper minuere aliquid eorum quæ ad largum victum & ad sumptuosum vestitum pertinent, id est, non tenentur quidem sibi subtrahere simpliciter necessaria ad victum & vestitum; sed tenentur subtrahere secundum quid necessaria, ut ea erogent pauperibus alioquin morituris, vel in deliquium lapsuris.

Probat 1°. Script. *Panis egentium vita pauperum est; qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Eccl. c. 34. v. 25.

2°. Ex patribus. Super illud Luc. II. v. 41. *Veruntamen quod superest, date elemosinam,* ita habent Basilius, Hyeron. Aug. Beda, & alii. *Nisi subveneris egenti, prout tua ferent facultates; nusquam debitum impleveris.* Videtur autem esse in cujuslibet facultate subtrahere sibi aliquid parum naturæ necessarium, quam permittere fratrem inediâ perire.

3°. Ratione. 1. Ratio. Bonus ordo postulat ut bona proximis indigentibus, tamquam fratribus partiamur; in hoc enim sita est carnalium fratrum unio, ut ex bonis paternis quisque prout indiget accipiat; quo pacto autem ordo ille Charitatis servabitur, si nihil minuiamus de necessariis secundum quid, ut proximo jam jam morituro succurramus?

curramus? Itaque in extremo necessitatis articulo tenentur divites sibi subtrahere aliquid de necessariis secundum quid, tum ad victum, tum ad vestitum, ut proximo jam-jam morituro succurratur.

2. Ratio. Homines tenentur se se juvare mutuò, sicuti juvant se membra unius & ejusdem corporis; quia omnes homines constituunt unum corpus morale sub uno capite Christo Jesu. Videmus autem quod membra corporis ita se mutuò juvant, ut sanum membrum sibi subtrahat aliquid necessariū ut infirmo opituletur; ita & homines divites debent aliquid necessariū sibi subtrahere, ut pauperibus alioquin morituris auxilientur.

Conseñtaria hujus Doctrinæ.

In extrema necessitate, civitatum capita, & primates tenentur, cum beneplacito principum, providere de cura pauperum insumendo ad hoc reipublicæ redditus. *Quid enim tam decorum, atque honestum quàm collatione locupletum juvare egentes, ministrare victum esurientibus, nulli cibum defore.* Amb. L. 3. de offic. cap. 7.

Tempore famis non decet peregrinos expelli, si subtracto civium superfluo possint simul cives & indigenæ nutriri, ita Amb. lib. 3. offi. cap. 7. *Illi, inquit, qui peregrinos urbibus prohibent nequaquam probandi; malum hand dubiè est, expellere eo tempore quo deberent juvare, separare commercii communis parentis, suos omnibus partus negare. . . Fere non expellunt feras, homo excludit hominem.*

S. V.

Ad quid teneantur divites in gravi pauperum necessitate.

PROPOSITIO unica. In necessitate gravi, tenentur divites dare eleemosinam de superfluis statui, & conditioni.

Probatur 1. Script. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo.* Joan. Epif. 1. cap. 3. v. 17. ubi necessitas denotat quamlibet necessitatem, extremam, vulgarem, & mediam.

Probatur 2. Ex Aug. *Esurit frater tuus in necessitate positus, fortassis suspenditur, à creditore angustiatur.* Ubi angustiari à creditore non extremam, sed gravem necessitatem indicat, tamen Aug. ità loquitur contra tenaces illos avaros, *quid ad me pertinet, forte dicis, ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur; si hoc tibi responderit, cor tuum, dilectio Patris non in te manet.* Tract. 1. in 1. Epif. Joan.

3. Ex D. Thom. *Dicendum quod est aliquod tempus in quo mortaliter quis peccat, si eleemosinam dare omittat; ex parte quidem recipientis, cum apparet evidens, id est extrema, & urgens, id est media necessitas; nec apparet in promptu qui ei subveniat; ex parte verò dantis, cum habet superflua quæ secundum statum presentem non sunt sibi necessaria.* 2. 2. q. 32. a 5. ad 3. Ergò superfluum dandum

est de præcepto in urgenti necessitate.

Nec est quod dicas D. Thom. in eadem quæstione docere eleemosinam esse solum de præcepto in extremâ tantum necessitate; alias autem eleemosinas dare est in consilio, sicut & de quolibet meliore bono dictum est; nam, ut optimè notat ibi Cajet. & Sylvius, D. Thom. vult tantum docere, quod præceptum dandi eleemosinam huic determinato pauperi urgeat hic & nunc, cum pauper est in extrema necessitate, non verò cum pauper est in mediâ, vel vulgari necessitate; tenetur tamen dives in omni necessitate mediâ, & vulgari, dare eleemosinam vel isti, vel illi pauperi, juxtâ prudens rationis suæ consilium. Ità se explicat D. Thom. 2. 2. q. 66. a. 7. quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subveniri, committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum.

Ordo charitatis exigit, ut multo plus doleamus gravem necessitatem proximi, quam amemus vanam conditionis nostræ decentiam; ergò debemus proximo subvenire, nobis subtrahendo ea quæ sunt necessaria ad solam status nostræ decentiam.

Consecraria hujus Doctrinæ.

Pauperibus in gravi necessitate constitutis, in eleemosinas consecrandæ sunt omnes ille expensæ, quas diabolus, mundus, & caro excogitarunt inter homines; quales sunt omnes expensæ quæ fovent concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ.

Pauperibus in gravi necessitate existentibus, in eleemosinas insumendæ sunt omnes expensæ, quæ fiunt in sustinendâ exteriori pompâ exteriori apparatu, qui communiter reprobatur à viris probis ejusdem status, & ejusdem conditionis; quales sunt expensæ quibus homines inferioris conditionis æquant se hominibus superioris conditionis.

§. VI.

Ad quid teneantur divites in communi pauperum necessitate.

PROPOSITIO unica. Divites habentes superflua tenentur ex præcepto, & non solum ex consilio facere eleemosinam pauperibus communem necessitatem patientibus.

Probatur 1. Script. Si unus de fratribus tuis ad paupertatem devenerit; non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi. Deut. 15. v. 7, & Math. cap. 25. v. 41. *Discedite maledicti in ignem æternum, esurivi, &c.* Quæ omnia disjunctivè sumpta, ut patet, non indicant, nisi communem necessitatem, & tamen Christus excludit à gloria eos qui in tali necessitate eleemosinas non largiti sunt: Ergò tenemur ex præcepto eleemosinam impertiri in vulgari necessitate.

2. Ex patribus. Divites sunt quasi ærarii regii custodes, juxta Chrysostr. sunt quasi dispensatores bonorum; ergò sicuti custodes ærarii, & dispensatores bonorum reipublicæ, tenentur ea bona elargiri, cum reipublica

jubet; ità & omnes divites tenentur bona sua superflua in communi necessitate elargiri, cum Deus dicat absolutè: *Quod superest date.*

3. Ex triplici ratione desumpta ex Evangelio secundum Luc. cap. 16. Prima est ut divitiis utamur ad consequendum cœlum. *Ego dico vobis facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* 2. Ut simus fideles in distributione bonorum temporalium, *qui fidelis est in minimò in majori fidelis est, & qui in modico iniquus est, in majori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis.* 3. Ne nimium hæreamus divitiis, quia inquit, *non potestis servire Deo & mammonæ.*

Consectaria hujus doctrine.

CONSECTARIUM I. Multi sunt divites in perpetuo statu damnationis, ex eo tantùm quod eleemosinam non faciunt in vulgari necessitate pauperum, ut patet exemplo divitis epulonis, qui sepultus est in inferno, non quod rapinas, vel furta, homicidia, vel adulteria commiserit; sed quia Lazaro mendicanti non opem tulerit. Ità in caput Lucæ 16. Varii interpretes in Evangelio, dives quod sua non dedit torquetur. Glossa.

CONSECTARIUM II. Recogitate debent divites illud Christi: *Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in Regnum Cœlorum.* Math. 19. v. 23. *Facilius est camelum*

per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum Cælorum.

CONSECTARIUM III. Recogitare debent nullum opulentum inter sanctos recenseri, nisi qui ad elargiendas eleemosinas maximè proclivis extiterit. Sic Abraham & Loth divites valdè in possessione auri & argenti, peregrinos apud se recipiebant, ipsilque ministrabant. Job ditissimus erat, sed de se sic loquitur: *Pater eram pauperum.* Job 29. v. 16.

§. VII.

Ex quibus bonis eleemosina fieri possit & debeat.

Nota quod quatuor sunt species bonorum.

1. Bona legitimè possessa, acquisita justo titulo, & secundum jura, v. g. bona accepta à parentibus, bona acquisita justo labore, bona gratuitò nobis donata à legitimo possessore.

2. Bona injustè possessa, acquisita cum solâ legis positivæ violatione v. g. bona simoniacè accepta: bona accepta ob sententiam latam à iudice contra regulas juris.

3. Bona acquisita cum violatione justitiæ commutativæ, v. g. bona acquisita furtis, rapinis, iniquis contractibus.

4. Bona turpiter acquisita cum solâ violatione virtutis diversæ à justitia commutativa, v. g. bona acquisita per meretricium, per lenocinium.

PROPOSITIO GENERALIS. Elec-

mosina debet fieri non de bonis alienis, sed de bonis propriis, quorum bonorum qui largitur eleemosinam sit verus Dominus.

Probatur I. Script. *Ex substantia tua fac eleemosinam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Tob. 4. v. 7. *Frangere esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam.* Isai. 58. v. 7. Eleemosina ergo debet fieri de nostrâ substantiâ, & non de alienâ, de pane nostro, & non de alieno, id est de bonis propriis & non alienis.

De justis laboribus facite eleemosinam, ex eo quod rectè habetis date, Aug. serm. alias 35. de verb. Domini in Evangelium secundum Lucam, nunc verò 113. *Eleemosina facta ex bonis alienis ad dulcem fructum non proficit, quæ per virus pestiferæ radicis amarescit.* Greg. Par. 3. adm. 22.

Qui est sub potestate constitutus de re, secundum quam superiori subjicitur, eleemosinam facere non debet, nisi quatenus ei à superiore fuerit permissum. D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 8.

Non sunt facienda mala ut inde veniant bona, hoc autem fieret, si bona auferrentur legitimis possessoribus, ut ea deinde darentur pauperibus. In hujus veritatis exemplum afferri potest actio Zachæi dicentis Luc. 19. v. 8. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quem defraudavi, reddo quadruplum bonorum meorum (ait) & non alienorum.*

Sic se habet coram Deo eleemosina data de bonis alienis, sicuti holocaustum factum ex bonis alienis, quia utrumque involvit furtum & rapinam; ergo cum Deus detestetur

furtum factum in holocaustum, juxta illud: *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocaustum.* Isai. cap. 61. v. 8. Ità & detestatur furtum factum in eleemosinam.

Ex hac propositione generali aliæ sequuntur minus generales, ex quibus propria pendunt consecratoria.

PROPOSITIO I. ILLATA. Nemo alterius potestati subditus potest facere eleemosinas de bonis superioris, contra voluntatem ipsiusmet superioris, nisi in casibus in quibus voluntas superioris esset injusta quia, si faceret eleemosinam contra voluntatem rationalem superioris, faceret eleemosinam non de bonis propriis, sed alienis.

Consecratoria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM. I. Monachus non potest facere eleemosinas de bonis communitatis, quia non est Dominus illorum bonorum. *Monachus*, inquit D. Tho. *si habeat dispensationem à Prælato commissam, potest eleemosinas facere de rebus Monasterii, secundum quod est sibi commissum; si verò non habeat dispensationem, quia nihil proprium habet; tunc non potest facere eleemosinam sine licentia Abbatis, vel expressè habita, vel probabiliter præsumpta; nisi fortè in articulo extremæ necessitatis.* 2. 2. q. 32. a. 8. ad 1.

CONSECTARIUM. II. Uxor contra justam voluntatem mariti, non potest facere eleemosinam ex bonis dotalibus, nec ex aliis bonis quorum maritus est Dominus

quoad administrationem; quia non est domina illorum bonorum. *Si uxor* (inquit D. Thom.) *habeat alias res præter dorem, quæ ordinatur ad sustinenda onera matrimonii, vel ex proprio lucro, vel ex quocumque alio licito modo, potest dare eleemosinam, etiam irrequisito assensu mariti; moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur; alias autem non debet dare eleemosinas sine consensu viri vel expresso, vel præsumpto, nisi in articulo necessitatis; sicut de Monacho dictum est. Quamvis enim mulier sit æqualis viro in actu matrimonii, tamen in his quæ ad dispositionem pertinent, vir est caput mulieris.* Ibid. ad. 2.

CONSECTARIUM. III. Filii-familias contra justam voluntatem parentum non possunt facere eleemosinas ex bonis parentum; quia non sunt illorum bonorum Domini. *Ea quæ sunt filii familias, inquit D. Thom. sunt patris: & ideo non potest eleemosinam facere nisi fortè modicam, de qua præsumere potest, quod patri placeat, nisi alicujus rei esset sibi à patre commissa dispensatio.* Ibid. ad. 3.

CONSECTARIUM. IV. Pupilli, minores non possunt facere eleemosinam ex bonis suis absque consensu tutoris, vel curatoris; quia non habent illorum bonorum dominium absolutum, sed suspensum.

CONSECTARIUM V. Famuli non possunt facere eleemosinam ex bonis dominorum; quia non sunt domini illorum bonorum, sed solùm custodes. *Dicendum, inquit D. Tho. de servis, & ancillis, & etiam famulis, quamvis sint liberæ conditionis, quod non possunt facere eleemosinas de rebus domino.*

rum sine eorum consensu, nisi panem & hujusmodi quæ non inferunt sensibile nocumentum; quia etsi sit dispensator rerum, non tamen ponitur dispensator quasi potestatem habens aliquam in re Domini, sed quasi tractans eam ad utilitatem Domini; de pretio autem servitii sui constat quod potest eleemosinam dare. In 4. dist. 15. q. 2. a. 5. q. 3.

PROPOSITIO II. ILLATA. Inferior potest facere eleemosinam de bonis superioris contra voluntatem injustam superioris, quia tunc illa bona veriùs sunt pauperis indigentis, quam divitis injustè detinentis.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Monachus, uxor, filius-familias, pupillus, minor, famuli possunt in communi, in urgenti, & à fortiori in extremâ necessitate facere eleemosinas ex illis bonis quæ superior per incuriam perire finit, & quæ conservata per curam inferioris possunt pauperum miseriam sublevare: quia tunc superior injustè prohiberet piam illam curam malens res illas perire, quam pauperibus erogari. De quibus ita Basilus supra laudatus: *Esurientis est panis quem tu retines, addiderim ego, & qui apud te putrescit.*

CONSECTARIUM II. Monachus, uxor, filius-familias, pupillus, minor, famuli possunt in urgenti, à fortiori in extremâ necessitate, *facilitate* sine consensu superiorum tenues eleemosinas ex bonis superiorum, quando illæ eleemosinae non afferunt, ut dicit

D. Thom. *sensibile nocumentum superioribus*, quia alias superiores essent irrationabiliter inviti.

CONSECTARIUM III. Monachus, uxor, filius-familias, pupillus, minor, famuli possunt in extremâ necessitate facere eleemosinas de bonis superiorum absque illorum consensu; quia in extrema necessitate licitum est uti bonis alienis, ut dentur eleemosinæ. Ita D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 1.

CONSECTARIUM IV. Monachus, uxor, filius-familias, pupillus, minores, famuli possunt non consultis superioribus facere eleemosinas ex bonis superiorum, in quacumque necessitate; quando probabiliter præsumunt tales eleemosinas non displicituras superioribus suis, quia tunc non agunt contra voluntatem superiorum.

PROPOSITIO III. ILLATA. Inferior potest contra voluntatem superioris facere eleemosinam de bonis quorum, vel est Dominus, vel habet dispensationem, quia tunc facit eleemosinas non de bonis alienis, sed de bonis propriis, aut quasi propriis. Si quis verò, inquit D. Thom. *habeat aliquid sciendum quod voluntati superioris non subsit, jam secundum hoc non est potestati subiectus, quantum ad hoc proprii juris existens; & de hoc potest eleemosinas facere.* 2. 2. q. 32. a. 8.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Monachus habens Beneficium suo Monasterio unitum potest sine

licentiâ superioris nimium tenacis, pauperibus erogare eam portionem quæ eis ex jure debetur; quia facit eleemosinam de bonis quorum habet dispensationem. Monachus nedum potest illas eleemosinas facere; imò & debet, quia tenetur ex officio esse dispensator fidelis reddituum Ecclesiasticorum.

CONSECTARIUM. II. Filius-familias habens Beneficium Ecclesiasticum potest, imò debet sine licentia patris erogare pauperibus eam portionem quæ eis competit; quia facit eleemosinam de bonis quorum habet dispensationem. Carolus Borromeus laudatur quod id fecerit.

CONSECTARIUM III. Uxor potest, & debet eleemosinam de bonis paraphernalibus, sive quæ sunt extra dotem; quia est domina illorum bonorum. *Si uxor*, inquit D. Raymundus, *habet res paraphernales; idest proprias extra dotem potest de illis etiam invito marito facere eleemosinam*, L. 2. de Furt. Item uxor potest facere eleemosinam sine licentia mariti de bonis familiæ, quando maritus est amens, vel prodigus, vel iram Dei in familiam nimiam avaritiâ concitaret, ita fecit Abigaïl quæ Davidi cibaria sapienter detulit, quæ Nabal maritus suus stultè negaverat. 1. Reg. cap. 25.

CONSECTARIUM IV. Filius-familias potest facere eleemosinam sine licentia patris de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, idest de bonis acquisitis exercendo militiam, exercendo Artem liberalem v. g. Medicinam, Jurisprudentiam, vel de bonis donatis à Principe, quia est dominus illorum bonorum.

Non

Non potest tamen facere eleemosinam de bonis adventitiis, idest de bonis quæ ei adveniunt ex lucro extraordinario, quod non procedit, nec ex militiâ, nec ex exercitio Artis liberalis; sed aliundè; quia filius-familias habet quidem dominium prædictorum bonorum; sed non administrationem, ut docet Justinianus. . . Non potest pariter facere eleemosinam de bonis profectitiis, idest de bonis quæ ei obveniunt vel curâ parentum, vel ei donantur intuitu parentum; quia filius-familias est quidem dominus illorum bonorum, sed fructus & usus nondum ad illum pertinent.

PROPOSITIO IV. ILLATA. Inferior potest sine licentia superioris facere eleemosinas de bonis quæ ei dedit superior; quia tunc censetur esse illorum bonorum dominus.

Consectaria hujus Doctrina.

CONSECTARIUM I. Monachus extra Monasterium existens potest facere eleemosinam de bonis quæ ei dantur à superiore; quia, cum dantur ei expensæ, committitur ei earum dispensatio. Ità D. Tho. in 4. dis. 15. q. 2. a. 5. q. 4.

CONSECTARIUM II. Quandò ex condicto maritus assignat uxori aliqua bona, tum ad sui, tum ad familiæ sustentationem, mulier poterit ex illis bonis sibi aliquid subtrahere, & dare pauperibus, quia ex condicto fit domina illorum bonorum.

CONSECTARIUM III. Quandò parentes dant filiisfamilias aliqua bona, tum ad

sustentationem , tùm ad suorum studiorum cursum peragendum , vel ad aliquid aliud , ad quod providere tenentur parentes , filii possunt prudenter aliquid sibi ex illis bonis subtrahere , & ex illis eleemosinam dare , quia sunt quasi domini illorum bonorum.

PROPOSITIO V. ILLATA. Nemo potest facere eleemosinas ex illis bonis quæ acquisivit turpi lucro, peccando contra justitiam commutativam ; sed debet bona illa veris dominis reddere.

Probatur 1. Script. Sicut aqua extinguit ignem , ità eleemosina extinguit peccatum. Ergò sicut aqua limpida lavat , lutosa verò deturpat ; ità eleemosina facta ex bonis propriis remittit peccata ; facta verò ex bonis alienis adauget peccata. Ità Hyeronimus.

Probatur 2. Ratione. Si injustè lucratus est , non est dominus illorum bonorum ; & proindè non potest bona illa in eleemosinas impendere. Ità docet D. Thom. *Dicendum quod tripliciter aliquid potest esse illicitè acquisitum ; uno enim modo id quod illicitè acquiritur , debetur ei à quo est acquisitum ; nec potest retineri ab eo qui acquisivit : sicut contingit in rapina , furto , & usuris : & de talibus cum homo teneatur ad restitutionem eleemosina fieri non potest. 2. 2. q 32. a. 7.*

Consektaria hujus Doctrinæ.

CONSEKTARIUM I. Ille qui aliquid obtinuit viâ injustâ , agendo contra illud præceptum , *non furtum facies* , non potest ex illis bonis eleemosinam facere , quia non

est illorum bonorum dominus.

CONSECTARIUM II. Ille qui ludendo lucratus est aliud ab illa persona, quæ de rebus suis non potest disponere, qualis est filius-familias; minor, pupillus, perpetuò morbo laborans, Monachus, uxor, ille (inquam) non potest ex bonis per ludum acquisitis eleemosinas facere; sed ea tenetur verò Domino restituere. *In his casibus tenetur ad restitutionem, & non potest de eo eleemosinam facere*, inquit D. Tho. 2. 2. q. 32. ad 7.

CONSECTARIUM III. Ille qui ludendo lucratus est aliquid ab illa persona quæ de rebus suis potest disponere; sed quam ad ludum vel dolosè, vel violenter attraxit, tenetur eidem personæ restituere, & non potest tale lucrum in eleemosinas impendere, quia illud lucrum est injustum, cum violentia, vel fraus, ludum præcesserint. *Si aliquis, inquit D. Tho. trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludum, & quod fraudulenter ab eo lucretur, tenetur ad restitutionem, & de eo non potest eleemosinam facere.* Ibid.

CONSECTARIUM IV. Illa quæ acquiruntur ex meretricio, & lenocinio, si dentur, vel accipiantur injustè v. g. si dentur ab his qui non sunt Domini rerum suarum v. g. à filiis-familias, à minoribus, à pupillis, &c. Si extorqueantur, vel dolosè, vel violenter; neque retineri, neque in eleemosinas impendi possunt, sed debent veris Dominis restitui, quia eadem est ratio, sicuti de ludo.

PROPOSITIO GENERALIS. Bona
O ij

quæ illicitè & data, & accepta sunt contra expressam legis etiam positivæ prohibitionem, debent ex rigore juris in eleemosinas impendi; quia ita jubet lex cui obediendum est: *Alter modo*, inquit D. Tho. est *aliquid illicitè acquisitum*; quia ille qui acquisivit retinere non potest; nec tamen debetur ei à quo acquisivit, quia scilicet contra justitiam, legalem scilicet accepit; & alter contra justitiam dedit, sicuti contingit in simoniâ in qua dans & accipiens contra justitiam legis Divinæ agit; undè non debet fieri restitutio ei qui dedit; sed debet in eleemosinam erogari; & eadem ratio est in similibus in quibus datio & acceptio est contra legem. D. Tho. 2. 2. q. 32. a. 7.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Quæcumque acquisita sunt per simoniam debent in eleemosinas impendi; quia lex vetat illa bona retineri, & jubet pauperibus distribui, ita D. Thom.

CONSECTARIUM II. Bona acquisita per ludos prohibitos debent in eleemosinas impendi, quia lex ita prohibet ludum, ut jubeat non retineri quod per ludum acquiritur, quæ lex; Si vigeat, est observanda. Ita docet D. Bonav. *dicendum quod in illis passionibus, quas habent aleatores, ludentes ludis prohibitis, bona non transferuntur in invicem, sed in usus pauperum convertuntur propter ludi inhonestatem, & juris interdictionem.* In 4. dist. 15. q. 1.

Idem docet D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2. de illo ludo, *qui per jus civile vigorem suum habens prohibetur . . . nam si ludus non prohibeatur jure civili, vel consuetudo contrarium permittat, conventiones factæ à ludentibus sunt observandæ, cum ludus sit quidam contractus.* Ubi tamen observa quod consuetudo, de qua D. Thom. debet esse legitima & his dotibus prædita de quibus nos ubi de consuetudine.

CONSECTARIUM. III. Quod accipitur à judice contra Edicta Principis, si datum fuerit ad extorquendum ab eo sententiam injustam, illud omne est in eleemosinas impendendum, quia iniquum est ut illud lucrum à judice retineatur, cum sit ei à lege prohibitum, injustum pariter, ut reddatur clienti; quia eo privari debet in pœnam prævæ suæ intentionis, quâ voluit injustam sententiam extorquere. Si quid enim datum esset Judici à cliente, ut justa sententiâ daretur, vel ut vitaretur injusta sententia; tunc judex deberet clienti restituere id quod accepisset, & cliens non deberet eo privari, quia dedit non ut injustum extorqueret, sed ut justum obtineret, vel liberaret se ab injustâ vexatione.

PROPOSITIO VI. ILLATA. Bona quæ sunt inhonestè acquisita, si peccatum fuerit contra aliquam virtutem diversam à justitia obligante ad restitutionem, v. g. contra castitatem, illa, inquam, bona licet illicitè acquisita, possunt licitè retineri, & ex illis bonis potest fieri eleemosina, quia qui acquisivit illa bona verus est Dominus illorum bonorum.

Confectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Bona citrà fraudem & violentiam acquisita ex meretricio, ex lenocinio possunt licitè retineri, & in eleemosinas impendi; quia, ut supponitur, acquiruntur quidem peccando contra virtutem; sed non contra justitiam obligantem ad restitutionem. Ita docet D. Thom. *Quod enim mulier meretricium exerceat turpiter agit, & contra legem Dei; sed in eo quod recipit non injustè agit, nec contra legem; undè quod sic illicitè acquisitum est retineri potest, & de eo eleemosina fieri. 2. 2. q. 32. a. 7* Æquum tamen esset, ut non retineretur sed daretur pauperibus.

Quod innuit Scriptura vetans Sacerdotibus fumere aliquid de hostia oblatâ, vel pro suis, vel pro populi peccatis: quia, inquit D. Thom. 1. 2. q. 102. a. 3. ad 8. *Tunc enim totum comburebatur; non enim debebant in usum Sacerdotum venire ea, quæ pro peccato eorum offerebantur; ut nihil peccati in eis remaneret; & quia hoc non esset satisfactio pro peccato; si enim cederet in usum eorum pro quorum peccatis offerebatur; idem esse videretur ac si non offerretur.*

CONSECTARIUM II. Quod citrà fraudem & violentiam acquisitum est per ludos nimios, sed non expressè per legem interdictos potest retineri, & de eo potest eleemosina fieri, quia ludus legibus permittitur transfert dominium rei quæ ludo exponitur.

§. VIII.

Quibus pauperibus danda sit eleemosina.

PROPOSITIO Unica. Eleemosina impertienda est veris tantùm pauperibus, sivè fideles sint, sivè infideles, sivè justus, sivè peccatores, præferendo tamen justos peccatoribus, si modò cætera sint paria.

Probat^{ur} 1^o. Script. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet ut nec à te avertatur facies Domini.* Tob. 4. v. 7. *Dùm tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei;* Ergò si eleemosina debet ad omnes se extendere, nulli est neganda, si verè sit pauper.

2^o. Ex Aug. *Discite Christiani sine discretionem, nimium curiosam, exhibere hospitalitatem, ne fortè cui domum clauseris ipse sit Christus.* Aug. lib. 5. de Heres. cap. 4.

3^o. Ratione. Non minùs debet extendere se eleemosina, quàm charitas; quia eleemosina est exercitium charitatis; charitas autem Christiana debet se extendere ad omnes homines; quia sunt creati à Deo, geniti ab eodem parente, redempti ab eodem salvatore; proindè eleemosina debet se extendere ad omnes egenos, & sicut Deus *solem suum ori facit super bonos & malos, pluit super justos & injustos;* ità & eleemosina nostra debet se extendere ad omnes egenos fideles & infideles, justos & injustos, eo fine ut justus perseverent, & injusti convertantur. Pachomius enim adhuc idololatra, perspectâ bene-

164 MORALIS CHRISTIANÆ.
volentia; quæ christiani se se mutuò juva-
bant, conversus est ad fidem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Neganda est eleemosina mendicantibus, robustis & validis laborare nolentibus, quia non sunt veri pauperes; *si quis non vult operari nec manducet.* 2. ad Thessal. cap. 3. v. 10. & Lex Civilis v. c. tit. 25. imponit pœnas corporales validis mendicantibus.

CONSECTARIUM. II. Neganda est eleemosina erronibus, & addicendi sunt quibusdam operibus; erronei enim qui nolunt laborare non sunt veri pauperes. *Servo malleolo tortura & compedes; mitte illum in operationem ne vacet, multam enim malitiam docuit otiositas.* Ecclis. 33. v. 28.

CONSECTARIUM. III. Non est danda eleemosina mendicantibus ex avaritiâ: qui mendicant non ut vivant, sed ut lucrentur pecunias; quia non sunt veri pauperes.

CONSECTARIUM IV. Neganda est eleemosina avaris, suis rebus ad victum & vestitum uti nolentibus; quia non sunt veri pauperes.

CONSECTARIUM V. Neganda est eleemosina peccatori, quandò hæc non nisi ad fovendum peccatum inservit; quia alias cooperaremur ejus peccato. Hoc facit, inquit Aug. in Psal. 102. *Qui donat histrionibus, qui donat aurigis, qui donat meretricibus; Quare donat? nunquid non & ipse hominibus donat?* & respondet Aug. negativè, & ratio-

nem subjungens, ait, *non tamen ibi attendunt naturam operis Dei; sed nequitiam operis humani.* Ab illâ indiscretâ eleemosinâ sic nos dehortatur scriptura. *Ne suscipias peccatorem . . . Ne receperis peccatorem . . . Non dederis impio, prohibe panes illi dare, ne in ipsis potentior te sit.* Ecclis. 12. v. 4.

CONSECTARIUM VI. Si tamen qui occurrunt veri sunt pauperes, debemus eis eleemosinas impertiri; sivè sint justî, sivè peccatores, quia hi omnes sunt proximi: *Charitas requirit, inquit D. Thom. ut etiam si non actûs aliquibus benefaciat, habeat in animi præparatione ut beneficeret cuicumque sit tempus adesset . . . sicut cum oramus pro omnibus fidelibus & infidelibus . . . subveniendum est peccatori quantum ad sustentationem nature, non quantum ad fomentum culpæ* 2. 2. q. 32. a. 2. & Aug. enarratione in Psal. 102. *Ne pigrescant in hoc viscera misericordie; quia tibi peccator occurrit, tibi enim homo peccator occurrit, cum dico: occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi. Hæc duo nomina non superflua sunt, aliud quod homo, aliud quod peccator: quod homo, opus est Dei: quod peccator, opus est hominis: da operi Dei, noli dare operi hominis.*

CONSECTARIUM VII. Non neganda est eleemosina peregrinis, nec tempore famis urbe expellendi sunt, si satis annonæ suppetat, vel comparari possit, ut iis simul & indigenis subveniatur. Ita Ambr.

CONSECTARIUM VIII. Non obviis tantum pauperibus eroganda est eleemosina; sed pauperes juxta Aug. quærendi sunt; alius

ad te venit, ut petat, alium præveni, ne petat. Quod quomodo fit intelligendum accipe à D. Thom. *Nullus autem sufficit omnibus indigentibus misericordiae opus impendere: & idedè sicut Aug. dicit. 1. de Doctrina Christiana cap. 28. Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quâdam sorte junguntur: dicit pro locorum opportunitatibus; quia non tenetur homo per mundum quærere indigentes quibus subveniat: sed sufficit si eis qui sibi occurrunt misericordiae opus impendat. Undè dicitur Exod. 23. v. 4. Si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc ad eum. Addit autem, & temporum; quia non tenetur homo futurae necessitati alterius providere: sed sufficit, si præsentis necessitati succurrat, undè dicitur, 1. Joan. c. 3. 17. qui viderit fratrem suum necessitatem habentem, & clauserit viscera sua ab eo, &c. subdit autem, vel quarumlibet rerum; quia homo sibi conjunctis quacumque necessitudine maximè debet curam impendere, secundùm illud: si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, 2. 2. q. 71. a. 1. . . Ex his omnibus patet quomodo debeamus pauperes quærere; non hac & illac indefinite, nec ubique terrarum; sed ubi id facilè fieri posse charitas suggerit.*

§. IX.

Quæ conditiones eleemosinam comitari debeant.

POPOSITIO unicâ. Ut eleemosina Deo

placeat, sequentes debet habere conditiones.

1^o. Debet esse copiosa, juxtà facultatem dantis. *In presentt tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut illorum abundantia vestre inopiæ sit supplementum, ut fiat equalitas sicut scriptum est, qui multum, non abundabit, & qui modicum, non minorabit.* 2. ad Corinth. cap. 8. v. 14. talis erat eleemosina Christianorum Ecclesiæ Jerusalem, apud quos omnia erant communia. Eleemosina est ad instar fontis semper novas aquas effundentis, & si haurias nunquam tamen exhauris, inquit Clemens Alexand. lib. 1. Pedag.

2^o. Eleemosina debet esse prompta, ne dicas amico tuo vade, & prov. c. 3. v. 18. *Revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Bis enim dat, qui citò dat.

3^o. Eleemosina debet fieri cum hilaritate, in omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Ecclis. cap. 35. v. 11. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* 2. ad Corinth. cap. 9.

4^o. Eleemosina debet fieri cum humilitate & sine ostentatione. *Cum facis eleemosinam, noli tubâ canere ante te, sicut hipocritæ faciunt in Sinagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis receperunt mercedem suam; te autem faciente eleemosinam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Math. 6. v. 2.

5^o. Eleemosina debet esse sine arrogantia. Talis erat eleemosina quam impendebat Job. 31. v. 19. *Si despexi prætereuntem eo quod non*

habuerit indumentum, & absque operimento pauperem. Quisquis enim, inquit Greg. super eum, cui tribuit, fastu se elationis extollit, majorem culpam intrinsecus superbiendo peragit, quam exterius largiendo mercedem. Lib. 21. Moralium cap. 19.

ARTICULUS. III.

De eleemosina spirituali, seu de correctione proximi.

§ I.

Explicatur quid sit eleemosina spiritualis, simulque variae traduntur notiones ad intelligentiam eorum necessariae quae dicenda sunt.

Eleemosina spiritualis seu correctio fraterna est actus charitatis quo proximo spiritualiter egenti spiritualiter seu quoad animam succurrimus consulendo, arguendo, docendo, consolando, condonando, orando, unde ille versiculus.

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Agemus tamen hic solum de correctione aut de iis quae reduci possunt ad correctionem.

Sicuti proximus potest esse in necessitate corporali, vel vulgari, vel mediâ, vel extremâ; ita potest esse in spirituali necessitate vulgari, mediâ, & extremâ.

Necessitas spiritualis vulgaris est status, in quo proximus lapsurus est probabiliter in peccatum mortale, nisi ei succurratur, spirituali auxilio v. g. consilio, correctione, &c. quod

quod tamen peccatum posset vitare solus, sed difficulter.

Talis est status, in quo sunt vulgariter homines, qui communibus tentationibus mundi, carnis, & diaboli agitantur.

Necessitas spiritualis *gravis* est hujusmodi status, in quo proximus certò sit in peccatum mortale lapsurus, nec possit facile peccatum illud vitare, nisi ei subveniatur spirituali auxilio v. g. consilio, correctione, &c.

Talis est status illius hominis, qui amicitiam init cum muliere impudicâ, ex cujus societate corrumpetur, nisi præmoneatur.

Necessitas spiritualis extrema est hujusmodi status, in quo proximus certò damnandus sit, nisi ei subveniatur spirituali auxilio, v. g. consilio, correctione.

Talis est status hominis brevi morituri, qui exhibit è sæculo, nec tamen faciet restitutionem ad quam tenetur, quam tamen faceret, si fraternâ correctione admoneretur.

Correctio generatim est actus misericordie, quo monitione salutari peccator ad emendationem inducitur.

Correctio est triplex, fraterna, paterna, & juridica.

Correctio fraterna est actus charitatis quo quæritur emendatio peccati, quatenus peccatum est malum ipsius peccantis, & hæc fit ex charitate, & exerceri debet ab omni homine qui potest peccatorem à peccato revocare; licet nullam habeat auctoritatem supra proximum, qui emendatur.

Correctio paterna est actus quo quæritur emendatio peccati, & facta ab eo qui habet

in peccantem auctoritatem aliquam, vel naturalem, ut pater; vel spiritualem, ut Prælati; vel civilem, ut Magistratus: & hæc correctio fit ex officio, sed absque processu contentioso, ut dicunt; undè ad fraternam reducitur.

Correctio juridica est emendatio peccati vergentis in nocumentum communis boni, & hæc correctio fit ex justitiâ, & fieri debet solum ab eo homine, qui habet auctoritatem Prælationis, & contentiosè, ut dicunt, potest procedere, qualis est Prælati Ecclesiasticus, & civilis.

§. II.

De correctione fraterna.

PROPOSITIO unica. Correctio fraterna non est tantum de consilio; sed etiam de præcepto, & obligat non solos Prælatos; sed omnes & singulos Christianos, quando adsunt omnes circumstantiæ requisitæ; adeo ut quilibet sive superior, sive æqualis, sive inferior teneatur fratrem suum peccatorem corrigere.

Probatur 1. Script. *Mandavit Deus unicuique de proximo suo* Ecclis. 17. v. 12. & Math. 18. v. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum; ergo correctio fraterna est de præcepto.*

2. Ex Anacleto. *Tam Sacerdotes quam reliqui fideles omnes summam debent habere curam de his, qui pereunt; quatenus eorum redargutione, aut corrigantur à peccatis, aut si incor-*

rigibiles apparent ab Ecclesia separentur.

3. Ex Aug. lib. de verbis Domini serm. 82. alias 16. cap. 4. *Si neglexeris corrigere, pejor es factus eo qui peccavit; pejor tacendo, quam ille conviciando.*

4. Ex D. Thom. 2. 2. q. 33. a. 3. *Correctio quæ est actus charitatis quæ specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per simplicem admonitionem; & talis correctio pertinet ad quemlibet charitatem habentem, sive sit subditus, sive Prælatus.*

5. Ratione. Prima ratio. Tenemur ex charitate proximum diligere in ordine ad beatitudinem, procurando ei bona quibus ducatur ad Deum, & avertendo ab ipso mala quibus abducitur à Deo: utrumque fit per correctionem fraternam in legitimis circumstantiis exercitam; ergò correctio fraterna est de præcepto.

Secunda ratio. Omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, ut ait Paulus 1. ad Corinth. cap. 12. v. 25. *Ergò sicuti in corpore humano, pro invicem sollicita sunt membra, & si quid patitur unam membrum, compatiuntur omnia membra, sic in Ecclesiâ fideles debent esse ad invicem solliciti, & curare ne frater in peccatum labatur.*

Tertia ratio. Tenemur ex præcepto charitatis eleemosinam corporalem largiri proximo indigenti; tenemur ergò à fortiori largiri proximo indigenti eleemosinam spiritualem, & proinde eum in debitis circumstantiis fraternâ correctione corrigere.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Peccant generatim omnes qui urgente necessitate, tempore ac loco opportunis, proximum per correctionem non abducunt à peccato, vel quod jam commisit, vel quod commissurus est. Illud docet D. Thom. 2. 2. q. 33. a. 2. *Correctio fraterna ordinatur ad fratris emendationem: ideò hoc modo cadit sub præcepto, secundùm quod necessaria est ob istum finem; non autem ita quod quolibet loco vel tempore frater delinquens corrigatur.*

Sic generatim peccat fidelis quilibet qui proximum non corrigit, sive superior, sive inferior, sive æqualis existat proximus egens correctione.

CONSECTARIUM II. Peccant graviùs Prælati naturales, ut patres; Ecclesiastici, ut Pastores; civiles, ut Magistratus, qui in debitis circumstantiis non corrigunt subditos suos, quia ad id tenentur, & ratione charitatis & ratione officii, ut ait D. Thom. 2. 2. q. 33. a. 3. ad 3. *Sicut enim temporalia beneficia potius debet aliquis exhibere illis quorum curam temporalem habet; ità etiam beneficia spiritualia, putà, correctionem, doctrinam, & alia hujusmodi magis debet providere illis qui sunt spirituali suæ curæ commissi. . . . idem docet Aug. 1. de Civit. Dei cap. 9. Quare in re, inquit sanctus Doctor, non utique parem, sed longè graviozem habent causam, qui populorum præpositi constituti sunt in Ecclesiis, ut non parcant objurgando peccata; nec ideò tamen*

ab ejusmodi culpâ penitus alienus est, qui licet prepositus non sit, arguenda negligit.

Sic gravissimè peccant patres, non corrigendo filios; Tutores, non corrigendo pupillos; Curatores, minores; heri, servos; Magistratus, subditos; Pastores Ecclesiastici, oves sibi subditas.

CONSECTARIUM III. Peccant subditi, qui servatâ debitâ reverentiâ, & mansuetudine, non corrigunt Prælatos in debitis circumstantiis; quia sicuti debent exercere charitatem ergâ Prælatos; itâ & correctionem; ideò dicit Aug. in regula ad servos Dei, *Non solum vestri, sed etiam ipsius Prælati miseremini, qui inter vos quantò in loco superiori, tantò in periculo majori versatur.* Et D. Tho. 2. 2. q. 33. a. 4. ait, quod *correctio fraterna, tam debet se extendere quàm charitas.* Et ibidem. *Sed quia virtuosus, inquit, debet esse moderatus debitis circumstantiis; ideò in correctione qua subditi corrigunt Prælatos, modus debet congruus adhiberi; ut scilicet non cum proterviâ & duritiâ, sed cum mansuetudine & reverentiâ corripiantur;* unde Apostolus, 1. Timoth. 5. dicit: *Seniorem ne increpaveris; sed obsecra ut patrem;* Sic potest filius patrem; privatus, Magistratum; & populus Sacerdotem modestè corrigere.

CONSECTARIUM IV. Peccant subditi, qui non corrigunt etiâ publicè Prælatos, cum imminet periculum fidei; itâ docet D. Thom. ibidem. *Sciendum tamen est quod ubi immineret periculum fidei, etiam publicè essent Prælati à subditis arguendi;* unde & Paulus, qui erat subditus Petro, propter im-

*minens scandalum periculum circa fidem, publicè arguit ad Galat. 2. Suprà quod Aug. dicit: ipse Petrus exemplum majoribus præbuit, ut, sic ubi tramitem rectum reliquissent, non dedig-
nentur à posterioribus corripì.*

CONSECTARIUM V. Peccant mortaliter fideles, tunc maximè, cum prætermittunt correctionem ex metu vel cupiditate, cum ad illam tenentur; scilicet quando probaliter præsumunt, quod possunt proximum à peccato retrahere: *Prætermittitur, inquit D. Thom. 2. 2. q. 33. a. 2. ad 3. fraterna correctio cum peccato mortali, quando formidatur iudicium vulgi, & carnis excruciatio, vel peremptio; dum tamen hæc ita dominantur in animo quod fraternæ charitati præponentur; & hoc videtur contingere, quando aliquis probabiliter præsumit de aliquo delinquente; quod possit eum à peccato revocare, & tamen propter timorem vel cupiditatem prætermittit; quæ quidem obligatio strictiùs urget eum qui habet auctoritatem, vel naturalem, ut pater; vel spiritualem, ut Prælati, vel civilem, ut Magistratus.*

CONSECTARIUM VI. Peccant venialiter, qui ad correctionem fraternam sunt tardiores, propter timorem & cupiditatem; quia qui tunc omittunt correctionem, ita sunt affecti, ut eam non negligenter, si constaret quod fraternam charitatem amitterent; *Tertio modo, inquit D. Thom. correctionis omissio est peccatum veniale, quando timor & cupiditas tardiores faciunt hominem ad corripienda delicta fratris; non tamen ita quod si ei constaret quod fratrem posset à peccato retrahere*

propter timorem vel cupiditatem omitteret, quibus in animo suo præponit charitatem fraternam; & hoc modo quandoque veri sancti negligunt corrigere delinquentes. Et idè Aug. I. de Civit. Dei cap. 4. ut culpabile reprehendit corripienda dissimulare, cum potentium inimicitias devitamus, ne impediunt, & noceant in rebus quas adipisci adhuc appetit cupiditas, aut amittere formidat infirmitas.

CONNECTARIUM VII. Non peccant sed meritorie agunt, qui omittunt correctionem, quam prævident magis nocituram, quam profuturam: ita Aug. de Civit. Dei cap. 9. lib. I. Si propterea quisque objurgandis & corripiendis male agentibus parcit; quia opportunius tempus inquirat, vel eisdem ipsis metuit; ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediunt alios infirmos & premant, atque averiant à fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis.

§. III.

De correctione juridica.

PROPOSITIO unica. Correctio juridica non solum est de præcepto charitatis, sed etiam de præcepto justitiæ.

Probatum Script. Fili. hominis speculatorem dedi te domui Israel; audies ex ore meo sermonem, & præmonstrabis eis ex me in eo cum dixerim peccatori morte morieris, & non fueris locutus ut caveat impius à viâ suâ, ille facinorosus in suo facinore morietur; sanguinem

autem ejus de manu tuâ requiram. Ezech. 33. v. 7. *Noli quævere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne fortè extimescas potentes, & ponas scandalum in æquitate tuâ.* Ecclis. c. 7. v. 6. Undè jubetur Moyses eligere de omni plebe, *viros potentes & timentes Deum in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, qui judicent populum omni tempore absque acceptatione personarum:* Exod. c. 18. v. 21. Ergò Prælati tenentur ex præcepto justitiæ ad correctionem juridicam.

2. Ex patribus. *Quod christiani sumus, inquit Aug. serm. 46. de tempore, propter nos est; quod præpositi sumus, propter vos est; in eo quod Christiani sumus, attenditur utilitas nostra; in eo quod præpositi; non nisi vestra.* Ergò præpositi tenentur ad correctionem juridicam, cum necessitas exigit, ex justitia & non solum ex charitate.

3. Ex D. Thom. 2. 2. q. 33. a. 3. *Est autem alia correctio quæ est actus justitiæ, per quam intenditur bonum commune, & talis pertinet ad solos Prælatos, qui non solum habent admonere; sed etiam corrigere puniendo:* Ergò correctio juridica est de præcepto.

4. Ratione. Correctio juridica pertinet ad justitiam distributivam; quia duplex est actus justitiæ distributiæ; alter punire malos; alter verò remunerari bonos: atqui exercitium justitiæ distributiæ est penes Prælatos, qui utpotè capita reipublicæ gerunt vices reip. Ergò correctio juridica est penes Prælatos. Ergò Prælati tenentur adhibere correctionem juridicam ex præcepto non solum charitatis, sed etiam justitiæ.

Consectaria hujus Doctrina.

CONSECTARIUM I. Peccant iudices tùm Ecclesiastici, tùm civiles, qui dissimulant peccata subditorum quos tenentur corrigere: ità docet Aug. videtis ait quàm sit periculosum parcere; moritur ille (id est subditus) & rectè moritur in impietate suâ & peccato suo moritur; negligentia enim sua occidit eum: sed cum fuerit negligens non admonente illo qui ad hoc est propositus, & speculator ut admoncat; & ille justè moritur; & iste justè damnatur.

CONSECTARIUM II. Peccant Iudices Ecclesiastici, & civiles qui in correctione juridicâ incidunt in acceptionem personarum, reos absolvunt, & damnant innocentes; quia agunt contrà justitiam, Prov. cap. 17. v. 15. *Qui justificat impium, & qui condemnat justum abominabilis est uterque apud Deum.*

CONSECTARIUM III. Peccant Iudices Ecclesiastici & civiles, qui juridicè non corripiunt & puniunt etiam publicè peccata quæ committuntur publicè; quia illam publicam pœnam merentur peccata publica; *Auferes, inquit Deus, Deuter. 13. v. 5. malum de medio . . . ut omnis Israel audiens timeat.* Quippe ut ait Aug. *Ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus.* Serm. 82. 7. alias, 16. de verbis Domini cap. 7. idem. docet D. Tho. *Remedium adhibetur, & peccatoribus, ne peccent, & aliis in quorum notitiam devenit peccatum, ut non scandalisentur.*

CONSECTARIUM IV. Peccant Judices Ecclesiastici & civiles, qui dimittunt correctionem juridicam propter perturbationem ejus qui corripitur; quia, ut ait D. Thom. *Correctio pertinens ad Prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactivam non est dimittenda propter perturbationem ejus qui corripitur; tum quia si propriam sponte emendari nolit, cogendus est per pœnas ut peccare desistat; tum etiam quia, si incorrigibilis sit, bono communi per hoc providetur, dum servatur ordo justitiæ, & unius exemplo alii deterreantur; unde judex non prætermittit ferre condemnationem in peccantem propter timorem, turbationem ipsius vel etiam amicorum.*

Et Aug. Can. Ipsa pietas 23. q. 4. *Furens phrenetico Medicus, & Pater indisciplinato filio molestus est; ille ligando, iste cedendo, sed ambo diligendo: si autem illos negligant & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa, & crudelis est. Cui consonat illud Greg. Pastoral. 2. p. cap. 6. Necesse est, inquit, ut Rectores à subditis timeantur, quando ab eis Deum minimè timeri deprehendunt; ut humanam saltem formidine peccare metuant, qui divina judicia non formidant.*

Ne tamen exoriatur rebellio vel perturbatio sequendum est consilium Greg. lib. 2. Moral. cap. 8. *Miscenda est, inquit, lenitas cum severitate faciendumque quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multam asperitate subditi exuercerentur, neque nimiam benignitate solvantur; sit inquit, amor, sed non emolliens, sit rigor, sed non exasperans; sit zelus,*

sed non immodicè sæviens; sit pietas, sed non plusquam expediat parcens.

§. IV.

*De modo secundum quem debet fieri correctio
fraterna.*

PROPOSITIO unica. Modus procedendi in correctione fraterna, sic est expressus à Christo: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Math. c. 18. v 15.

Conseſtaria hujus doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Solum peccatum est objectum correctionis. Juxtà illud: *Si peccaverit, & ità peccant. . . 1º.* Qui zelo inordinato proximum exasperant arguendo pro defectibus nullius momenti, & gravia peccata excusant. . . 2º. Prælati, & Patres qui veniales etiam culpas non impediunt, si per hoc vigor disciplinæ minuatur. Charitas ex Aug. in 1. Epist. Joan. tract. 7. non debet esse desidioſa, *non est ista charitas, inquit, sed languor.*

CONSECTARIUM II. Peccatum debet esse cognitum, & non dubium & incertum; juxtà illud: *Si peccaverit in te, id est coram te, te ſciente, ut explicat Aug. 32. cap. X. alias ſerm. 15.* Idè peccant qui proximum arguunt sub levibus ſuſpicionibus; nec enim decet nos esse exploratores vitæ aliorum,

sed solum admonitores Prov. 24. v. 15. *Non queras impietatem in domo justi ; & vases ejus requiem.* Et Aug. serm. 82. c. 1. alias 16. *admonet nos Dominus noster non negligere invicem nostra peccata ; non querendi quid reprehendas ; sed videndo quid corrigas.*

CONSECTARIUM III. Solum peccatum fratris est objectum correctionis, regulariter loquendo, juxta illud : *Si peccaverit in te frater tuus ;* idè licet, ut dictum est, teneamur ex charitate Prælatos aliquandò publicè, aliquandò privatim arguere ; non tamen id debet fieri indiscriminatim ; sed personæ ætate, pietate, prudentiâ graviores, & Prælati magis familiares debent suscipere munus illud correctionis erga Prælatos. Undè qui habet specialiter curam alicujus, inquit D. Thom. hîc art. 2. ad 4. *debet eum querere, ad hoc quod eum corrigat à peccato, exemplo Christi de quo dicitur, vadit ad eam quæ perierat ; sed communiter non oportet nos querere quos corrigamus ; sed sufficit quod impendamus correctionem eis qui nobis occurrunt.* Ità D. Thom.

CONSECTARIUM IV. Correctio debet fieri privatim & non publicè, si peccatum fuerit occultum ; juxta illud : *vade, & corripe eum inter te & ipsum solum ;* quia, ut ait Hieron. *Corripiendus est frater seorsum ; ne si semel pudorem ac verecundiam amisit remaneat in peccato ;* & (ut ait Aug.) serm. de verbis Domini cap. 6. *quia secretum fuit, quandò peccavit in te, secretum quare, cum corrigis quæ peccavit, parcens pudori, studens correctioni.* Denique, ut ait D. Thom. dum

dum proximum corrigimus ejus famæ.

Consulendum est, quia fama est necessaria proximo. 1°. Ad bona temporalia, quia diffamati à civili commercio arcentur. 2°. Ad conscientiam, quia diffamati irrefrænate peccant. 3°. Ad bonum Ecclesiæ; quia patefacto unius peccato, alii ad peccandum provocantur. Ità D. Tho.

CONSECTARIUM V. Correctio debet fieri verbis suavibus & non injuriolis, juxtà illud: *Vade, & corripe eum.* Idèd ait Paulus ad Galat. 6. *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris,* quem locum sic exponit Aug. *quidquid lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis: Dilige, & dic quod voles;* etc. nim ut docet Seneca de benef. cap. 3. *ut corporum, ità animorum molliter vitia tractanda sunt.*

CONSECTARIUM VI. Correctio fraterna debet fieri solo motivo fratrem emendandi; juxtà illud: *Si te audierit lucratus eris fratrem tuum. . . . Noli arguere derisorem ne oderit te,* idèd ait D. Tho. *ubi probabiliter aestimatur quod peccator admonitionem non recipiat; sed ad pejora labatur, est ab ejusmodi correctione desistendum,* 2. 2. q. 33. a. 6. & Aug. serm. 82. alias 16. de verbis Domini cap. 7. *Quare illum corripis, quia tu doles quod peccaverit in te, absit, si amore tui id facis, nihil facis; si amore illius facis, optimè facis.*

CONSECTARIUM VII. Correctio fraterna peccatoribus pertinacioribus non est deneganda sub spe futuræ eorum emendatio-

182 MORALIS CHRISTIANA.
nis ; juxtà illud : *Si te audierit lucratus eris fratrem tuum.* Id viderur docere D. Paulus ad Thessal. 5. v. 14. his verbis. *Corripite inquietos , consolamini pusillanimes , suscipite infirmos , patientes estote ad omnes , & Aug. de correct. & gratia cap. 15. omnibus ne pereant , vel ne alios perdant adhibenda est à nobis medicinaliter severa correctio.*

CONSECTARIUM VIII. Si admonitio privata inter te & ipsum solum suum effectum non habeat , propterea non omittenda est fratris correctio ; sed adhibenda sunt alia media , quæ ad emendationem judicabuntur magis idonea.

1^o. Iteranda sæpiùs est privata correctio , juxtà illud Paul. 2. ad Timoth. cap. 4. v. 2. *Insta oportunè importunè argue , obsecra , increpa in omni patientia ; imitandi enim sunt medici qui , & volentibus , & nolentibus , curam adhibent.*

2^o. Si inutilis est iterata correctio inter te & ipsum solum , corrigendus est coram uno , vel duobus testibus ; juxtà illud : *Si autem te non audierit , adhibe tecum adhuc unum , vel duos testes , ut in ore duorum vel trium stet omne verbum , & D. Thom. 2. 2. q. 33. a. 8. ad 1. post admonitionem secretam semel vel pluriès factam , quamdiù spes probabiliter habetur de correctione , per secretam admonitionem procedendum est ex quo autem probabiliter jam cognoscere possumus , quod secreta admonitio non valet , procedendum est ulterius , quantumvis sit peccatum occultum , ad testium inductionem , nisi fortè probabiliter æstimetur , quod hoc ad emendationem fratris non proficeret ; sed*

ex inde deterior redderetur ; quia propter hoc totaliter est à correctione cessandum.

3^o. Si proximus nolit acquiescere prædictis admonitionibus denunciandus est superiori ; juxta illud : *Si non audierit eos dic Ecclesie* , quod quo modo fieri debeat sequens paragraphus apperiet.

§.

De denunciatione.

Denunciatio est criminis latentis facta judici non observatâ formulâ accusandi , denunciatio triplex est , denunciatio Evangelica , Canonica , Civilis.

Denunciatio Evangelica ea est quæ fit Prælato tamquam patri ; quâ scilicet rogatur Prælatus , ut paternâ suâ authoritate peccantem fratrem ad salutarem pœnitentiam excitet , ut cum uxor occultum mariti adulterium Sacerdoti denunciet. Ita Can. *Si peccaverit.*

Denunciatio Canonica ea est quâ peccator denunciatur Prælato Ecclesiastico, eo fine ut Prælatus pœnis Canonicis peccatorem ad pœnitentiam excitet, veluti si quis denunciaret eos qui volunt in gradu prohibito matrimonium contrahere.

Denunciatio Civilis ea est quâ reus denunciatur Judici Laïco, eo fine ut judex laïcus malos puniat & pacem publicam tueatur ut cum quis denunciaret malefactores Judici civili.

PROPOSITIO I. Quantum fieri potest post adhibitam fraternam correctionem si

bonum spirituale proximi, aut utilitas publica exigat ut proximus denunciatur isto ordine procedendum est; denunciatio Evangelica debet præcedere Canonicam, & Canonica, civilem: Civilis verò denunciatio magna eget cautela, nec adhibenda est nisi de consilio prudentis viri.

Probatur. Ordo charitatis exigit ut mitioribus quantum fieri potest mediis fratres nos-
tros ad resipiscentiam reducamus. *Si secus feceris*, inquit Aug. serm. 16. de verbis Domini. *Non es correptor sed proditor. Attende quemadmodum vir justus Joseph tanto flagitio, quod de uxore fuerat suspicatus, tanta benignitate pepercit: antequàm sciret unde illa conceperat, quam gravidam senserat, & se ad illam non accessisse noverat. Restabat itaque certa adulterii suspicio: & tamen quia ipse solus senserat, ipse solus sciebat, quid de illo ait Evang. Joseph autè cum esset vir justus & nollet eam traducere id est divulgare, voluit occultè dimittere eam. Ergò sicuti Joseph in urgentissima etiam suspicione judicem non adiit, ità & nos non adeamus iudices nisi in extremis tantùm, & cum ad id teneri ex prudentum consilio compertum habuerimus.*

MONITUM I. Quando peccatum est occultum vergens in periculum aliorum, vel corporale, vel spirituale denunciandum est absque admonitione prævia, ità docet D. Thom. 2. 2. q. 33. a. 7. in talibus in quibus mora denunciationis est periculosa, non oportet expectare admonitionem, sed statim procedere ad denunciationem, nec hoc est contra præceptum Christi propter duo. Primò

quidem quia peccatum istud quod vergit in periculum multorum, non est solum in te, sed in multos: Dominus autem dicit, *si peccaverit in te frater tuus*. Secundò, quia Dominus non loquitur de culpâ futurâ cavendâ, sed de præteritâ jam commissâ.

MONITUM II. Quando peccatum est occultum, nec vergit in perniciem aliorum, tunc licet peccatum fratris superiori denunciare non ut judici, sed ut patri. Si prævideatur quod superior paterna charitate fratrem errantem revocavit, & præsumo secretam meam monitionem futuram illi inutilem; ita D. Thom. quod lib. 11. q. 10. a. 2. *Si ego scio, inquit sanctus Doctor, quod frater per me corrigetur tunc non debeo hunc denunciare prælato; si autem videtur quod hoc melius fiet per Prælatum, & Prælatum nihilominus sit pius, & spiritualis, & non habens rancorem, seu odium adversus illum subditum, tunc licite potest denunciari.*

ARTICULUS IV.

De bono exemplo.

PROPOSITIO unica. Quilibet homo tenetur aliis hominibus bono exemplo præluere.

Probatur 1°. Script. *Exemplum dedi vobis, inquit Christus Joan. 13. v. 15. ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*; Ergò cum amor Christi ergà nos sit regula amoris nostri ergà proximum, quemadmodum Christus nobis omnibus multa pietatis exempla præ-

buit, ità & nos debemus pietatis exempla aliis præbere hominibus.

2°. Ex Gregorio Homilia 16. in Evangelium, ubi sic loquitur: *Nemo dicat admonere non sufficio, exhortari idoneus non sum: quantum potes exhibe, vel adjumenta, vel bona exempla, vobiscum alios trahite in via Domini, socios habere desiderate, si ad Deum tenditis, curate nè ad Deum soli veniatis, sicut etiam scriptum est, qui audit, dicat, veni.*

3°. Ratione. Charitas nostra ergà proximum debet ex dictis eò tendere ut quantum in nobis est, proximum ad Deum attrahamus, undè dicit Augustinus concione 2. in Psal. 33. *Si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei . . . accipite, adducite, attrahite quos potestis;* Ergò debemus fratribus nostris bono exemplo præluere; ut enim optimè monet D. Thom. 1. 2. q. 34. a. 1. in corp. *In operationibus & passionibus humanis, in quibus experientia plurimum valet, magis movent exempla quàm verba, undè vulgare dictum: validiora sunt exempla quàm verba, & plenius docetur opere quàm sermone, & Seneca Epist. 53. ait Magistrum talem esse eligendum, quem magis admireris cum videris quàm cum audieris.*

Consektaria hujus doctrine.

CONSEKTARIUM I. Quilibet homo etiam privatus tenetur ità pietatis opera exercere ut possint alii ejus exemplo ad virtutem inflammari, undè Christus ait Math. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut vi-*

deant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cælis est, quilibet enim ita se gerere debet erga eos quibus cum commoratur, sicut Ruth gessit se cum concivibus suis, de qua scriptum est: *sit in exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethleem*, Ruth. 4. v. 16. quibus verbis scriptura non tam desiderium exprimit, quam quid futurum esset, prænunciat.

CONSECTARIUM II. Superior politicus tenetur strictiùs quàm homo privatus exemplo præluere iis omnibus quibus præest, talis est enim vulgò populus qualis est superior politicus, juxtà illud Ecclis. 10. v. 2. *Secundum judicem populi sic & ministri ejus & qualis Rector est civitatis, talis & inhabitantes in ea. Rex inspiens perdet populum suum.*

CONSECTARIUM III. Superior Ecclesiasticus strictiùs tenetur quàm superior politicus exemplo præluere his quibus præest, Christus enim exemplar omnium Pastorum, *cæpit prius facere, postea docere*, & Paulus ad Timo. 1. 4. v. 12. *exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate*, & ad Tit. 2. v. 7. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum*; tenetur enim lucere, inquit Chrysostomus Homilia in Math quem Dominus voluit habere officium lucernæ. Vide dicenda de officio Pastorum.

CAPUT IV.

De actibus charitati erga proximum contrariis.

Actus charitati erga proximum contrarii, alii sunt interiores, alii exteriores.

Actus interiores sunt hi qui latent in corde, exteriores sunt hi qui per opus aliquod externum exterius manifestantur.

Actus interiores contrarii charitati ergà proximum sunt odium, invidia inimicitia interiorius retenta quæ prodit se per actus exteriores charitati contrarios.

Actus exteriores contrarii charitati ergà proximum sunt ira, vindicta, discordia, contentio, rixæ de quibus sigillatim agemus, & quia scandalum charitati pariter adversatur, materiam scandalum pertractabimus.

ARTICULUS I.

De odio contra proximum.

Odium proximi est actus quo malum optamus proximo.

PROPOSITIO unica. Odium proximi quo ei optamus ingens malum est peccatum ex suo genere mortale.

Probatur 1°. Script. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* 1. Joan. 3. v. 15. Ergò cum odium proximi comparetur homicidio, & homicidium sit peccatum mortale, odium proximi est peccatum mortale.

2°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 34. a. 4. ubi sic loquitur, *Peccatum quod committitur contra proximum, habet rationem mali ex duobus. Uno quidem modo ex deordinatione ejus qui peccat; alio modo ex nocumento quod infertur ei contra quem peccatur.* Ergò odium contra

proximum debet mensurari, ex deordinatione voluntatis & ex nocumento quod optamus inferre proximo. Ergò odium proximi erit peccatum mortale, si sit planè deliberatum, & ingens sit malum quod ei optamus.

3^o. Ratione. Omnis actus contrarius virtuti est peccatū, ergò cum charitas ergà proximum sit maxima virtus, odium proximi oppositum charitati, debet esse maximum vitium, & proinde peccatum ex suo genere mortale.

Conseſtaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccant qui gaudent de malo proximi, & tantò graviùs, quantò majus est malum proximi de quo lætantur, contra pravum hunc cordis nostri affectum: ità loquitur Script. Prov. 24. v. 17. *Cum ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum ne fortè videat Dominus & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam, & eandem iram in te transferat,* inquit Duhamel in suis Adnotationibus in Scripturam.

CONSECTARIUM II. Peccant qui optant aliquod malum proximo, & tantò gravius quantò majus est malum quod optant proximo: *charitas enim, inquit Paulus 1. ad Corint. 13. v. 4. patiens est, benigna est, non cogitat malum.*

Sic peccant graviter qui optant malum temporale proximo, graviùs qui optant ei mortem, gavissimè verò qui optaret proximo æternam damnationem, neque possunt prava hæc desideria recto motivo excusari. Undè

damnata est sequens propositio à Sede Apostolica & à Clero Gallicano. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristarì, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod emolumentum temporale.*

ARTICULUS II.

De invidia ergà proximum.

INvidia est tristitia de bono proximi quatenus bonum nostrum proprium minuere videtur.

PROPOSITIO unica. Invidia est peccatum mortale, quoties cum plena deliberatione invidemus bonum aliquod insigne vel spirituale, vel temporale proximi; veniale verò si sit levitas materiæ & indeliberatio.

Probatur 1°. Script. *Invidia, homicidia, ebrietates, commestationes, & his similia que prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur*, ad Galat. 5. v. 21. Ergo cum invidia excludat nos à regno cælorum, debet esse peccatum mortale. 2°. Ex Greg. 3. part. Regulæ pastoralis, admonitione II. quam grave sit peccatum invidiæ patet ex hoc quod invidi, inquit. *Alieno provectu deficiunt*, alienâ exultatione tabescunt... Melioratione proximi deteriores fiunt.

3°. Ratione. D. Thom. 2. 2. q. 36. a. 3. in corp. ubi sic loquitur: invidia ex suo ge-

nere est peccatum mortale; genus enim peccati ex objecto consideratur; invidia autem secundum rationem sui objecti contrariatur charitati, per quam est vita animæ spirituales: secundum illud Joan. 3. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam; quoniam diligimus fratres* Unde manifestum est quod invidia ex suo genere est peccatum mortale; sed sicut in quolibet genere peccati mortalis inveniuntur aliqui imperfecti motus in sensualitate existentes, qui sunt peccata venialia . . . Ita etiã in genere invidiæ. Ergo invidia est peccatum ex suo genere mortale; veniale vero, vel ob levitatem materiæ, vel ob indeliberationem.

Consecraria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccant gravissimè qui dolent dona Spiritus Sancti in aliis abundare; & hoc peccatum ponitur inter peccata contra Spiritum Sanctum: ita D. Thom. ibid a. 4. ad 2. Tale fuit peccatum Cain dolentis holocaustum Abelis magis Deo placere, quàm sacrificium quod ipse offerebat: *ad Cain autem inquit Scriptura, & ad munera ejus non respexit Deus, iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus ejus.* Gen. 4. v. 5.

CONSECTARIUM II. Peccant gravissimè qui dolent proximum bonis spiritualibus abundare: tales sunt qui ægrè ferunt Evangelium prædicari, confessiones audiri &c. ab aliis quàm à se ipsis; contra hos facit

exemplum cui cum Josue annunciaffet quod Eldad & Medad Prophetabant in castris, eique dixisset, *Dominus mi Moyses, prohibe eos*; Moyses respondit quid, inquit, *emularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis dominus spiritum suum.* Tales sunt etiam hi qui ex invidia nolunt scientiam quam habent, aliis communicare, contra hos facit exemplum Sapientis, qui loquens de sapientia ait, quam sine invidia communico & honestatem illius non abscondo Sap. 7 v. 13.

CONSECTARIUM III. Peccant qui dolent temporalia in aliis abundare. Talis fuit invidia Palæstinorum qui dolebant quod Isaac dives evasisset juxta illud Scrip: *Habuitque possessiones ovium & armentorum, & familiæ plurimum: ob hoc invidentes ei palæstini omnes puteos patris Abraham obstruxerunt.* Gen. 26.

CONSECTARIUM IV. Peccant qui dolent alios sibi vel formâ corporis, vel doctrinâ, vel autoritate præeminere. Talis fuit invidia fratrum Joseph, *videntes... Quod Joseph plus amaretur cunctis filiis, odierant illum.* Gen. 37. v. 4. Talis fuit invidia Rachel: *cernens autem Rachel quod infœcunda esset invidit sorori suæ.* Gen. 30. v. 1. Talis fuit invidia Saul contra David: *dederunt David decem millia, mihi mille dederunt* 1. Reg. 18. v. 8.

MONITUM I. Non peccant tamèn peccato invidiæ qui timent bonum alienum sibi vel aliis viris probis nociturum. *Evenire plerumque solet,* inquit Greg. Mor. l. 2. c. 11. *Ut non amissa charitate, & inimici nos ruina letificet,*

letificet, & rursus ejus gloria sine invidia culpa contristet, cum ruente eo quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo plerosque injustè opprimi formidamus; Sic Esther & Mardocheus dolebant de autoritate impij Aman à quo sibi & toti Judæorum genti cladem imminere prævidebant.

MONITUM II. Non peccant paritèr peccato invidiæ qui tristantur de bono alterius, non quòd ille habeat illud bonum; sed quòd sibi desit illud bonum; nam tristitia illa propriè zelus dicitur, qui si sit circa bona honesta, laudabilis est, juxtà illud. 1^o. Cor. c. 12. v. 31. *Æmulamini charismata meliora: si autem fuerit de bonis temporalibus, potest esse cum peccato & sine peccato. Si fiat ordinatè, caret peccato, est verò cum peccato si fiat inordinatè: ordinatè autem bona temporalia cupimus, cum ea optamus ob gloriam Dei; inordinatè verò, cum ea cupimus ob aliquod pravum motivum.*

MONITUM III. Peccamus quando tristantur de bono alterius, quatenus ille cui accidit illud bonum est eo indignus: quia gaudere debemus quòd bona spiritualia indignis obveniant, cum per ea peccator ad conversionem disponatur; gaudere pariter debemus quòd bona temporalia indignis obveniant, quia ut dicit D. Thomas 2. 2. q. 36. a. 2. in corp. *Secundum Doctrinam fidei, temporalia bona, que indignis proveniunt, ex justa Dei ordinatione disponuntur, vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem: & hujusmodi bona nihil sunt in comparatione ad bona futura qua reservantur bonis.*

MONITUM IV. Cum aliquis tristatur de bo-

no alicujus, in quantum alter excedit ipsum in bonis, tunc proprie est invidia, & istud semper est pravum... Quia dolet de eo de quo est gaudendum, scilicet de bono proximi.

ARTICULUS III.

De Inimicitia.

Inimicitia est status animæ quo malè afficimur erga eos qui nobis adversantur, & inimicitia coincidit cum odio, eo solum discrimine quod odium actum significat, inimicitia verò permanentiam in eodem odio.

PROPOSITIO unica. Inimicitia contra proximum sive interiùs latens, sive exteriùs prodens se, si sit plenè deliberata & in materia gravi, est peccatum mortale.

Probatur 1°. Script. *Qui odit fratrem suum in tenebris est*, inquit Joan. I. 2. v. II. *Et in tenebris ambulat, & nescit quò eat: quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* Sed status ille denotat peccatum mortale, ergo inimicitia contra proximum, est peccatum mortale.

2°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 74. a. 3. in corp. *Simpliciter accipiendò odium fratris, semper est cum peccato*, ergo si interveniat plena deliberatio & materiæ gravitas, permanentia in tali odio seu inimicitia, erit peccatum mortale.

3°. Inimicitia seu status ille permanens quo proximo adversamur, est status oppositus charitati, ergo est peccatum ex suo genere mortale.

Conseñtaria hujus Doctrinæ.

CONSEÑTARIUM I. Peccamus graviter si interiùs foveamus inimicitias contra proximum quantumvis nobis adversantem,

tenemur enim ex præcepto Christi inimicos diligere. *Ego autem dico vobis, inquit, diligite inimicos vestros, Matth. 5. v. 44.*

CONSECTARIUM II. Peccant qui negant reconciliationem inimico veniam petenti, agunt enim contra illud Luc 17. v. 4. *Si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: pœnitet me, dimitte illi.* Et Aug. ait serm. 56. aliàs 48. de diversis: *Dilige hominem qui tibi dicit, frater peccavi, ignosce mihi: tunc si non ignoveris, non dico deles orationem de corde tuo, sed deleberis de libro Dei.*

CONSECTARIUM III. Peccant qui inimicis etiam veniam non petentibus, non actu exhibent communia Christianæ dilectionis signa, & specialia in præparatione animi, immò qui ea signa non conferunt actualiter si ad eorum conversionem, vel imbecillium ædificationem absolutè necessaria judicentur, tunc denegatio illorum signorum esset certum latentis odii testimonium. Sic enim de communibus dilectionis signis loquitur D. Thom. 2. 2. q. 25. a. 9. in corp. *Sunt quædam signa, vel beneficia dilectionis quæ exhibentur proximis in communi, puta cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati; & talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere est de necessitate præcepti. Si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ, contra id quod dicitur, Levi. 9. v. 18. Non quæras ultionem, & non memor eris injuriæ civium tuorum.* De beneficiis verò specialibus sic loquitur ibid. *Alia verò sunt beneficia vel di-*

lectionis signa quæ quis exhibet regulariter aliquibus personis, & talia beneficia vel dilectionis signa, inimicis exhibere non est de necessitate salutis, nisi secundum præparationem animi, ut subveniatur eis in articulo necessitatis, secundum illud Prov. 25. si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi.

Sic peccant qui inimicis negant communia beneficia, qualia sunt quæ Christiano debentur à quolibet Christiano in communi, concivi à concive, cognato à cognato, vicino à vicino.

Sic peccant qui negant inimicis specialia beneficia, quando hinc sequitur scandalum, quale contingit, quando affines, vicini, &c. Salutationem, colloquia, aliaque officia sibi negant: *Væ homini illi per quem scandalum venit.* inquit Christus Matth. 18. a. 7.

Sic peccant qui negant inimicis specialia signa dilectionis, cum ea inservire possent ad eorum conversionem: *unicuique Deus mandavit de proximo suo.* Si ergo possis inimicum tuum ad Deum convertere & non facias; *sanguinem ejus de manu tua requireret Dominus, si occurreris bovi inimici tui vel asino erranti, reduc ad eum; si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis,* ait Script. Ergo à fortiori debemus animam inimici nostri, specialibus dilectionis argumentis ab odio quo exuritur reducere, & à pondere peccati quo premitur sublevare.

ARTICULUS IV.

De vindicta.

Vindicta est actus justitiæ quo justa pœna rependitur pro puniendâ culpa.

PROPOSITIO I. Vindicatio quæ fit vel ex livore, vel ex odio, vel ex malevolentia est peccatum tantò gravius, quantò major est ulciscantis se malevolentia.

Probarur 1°. Script. *Non quæras*, inquit Deus Lev. 19. v. 18. *ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*, & Paul ad Theſſal. 1. cap. 5. v. 15. *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est secutemini invicem & in omnes*. Ergo vindicatio quæ fit ex motivo odii, est semper peccatum.

2°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 108 a. 1. *In vindicatione considerandus est vindicantis animus; si enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius de quo vindictam sumit, & ibi quiescat, est omnino illicitum, quia delectari in malo alterius, pertinet ad odium quod charitati repugnat, quâ omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excusatur si malum intendat illius qui sibi injustè intulit malum, sicut non excusatur aliquis per hoc quod odit odientem se. Debemus enim non vinci à malo, sed vincere in bono malum.*

3°. Ratione. Vindicta quæ fit, vel ex odio, vel ex livore opponitur charitati; ergo est peccatum

Conſectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccant privati qui autoritate propriâ volunt sibi usurpare exercitium vindictæ; Deus enim injuriatum ultionem sibi reservavit, juxta illud ad Rom. 12. v. 19. *Vindicta mihi; ego retribuam*. Deinde, hi qui acceptas volunt ipsimet ulcisci injurias, non ducuntur zelo justitiæ, sed odio & livore, ergo peccant.

CONSECTARIUM II. Peccant privati

homines qui vindictam coram iudice pro acceptis injuriis persequuntur, non ex zelo justitiæ, sed ut irato satisfaciant animo; tunc enim propriæ serviunt cupiditati, qui enim ultionem coram iudice persequitur debet id facere cum dilectione hominum & solo odio vitiorum, debet sibi proponere solum bonum justitiæ, solum bonum pacis, ut alii non audeant contra bonos insurgere, & ne impunitas delictorum pariat incentiva vitiorum.

PROPOSITIO II. Vindicta quæ fit non autoritate privatâ, sed publicâ; non animo nocendi, sed solum animo cohibendi malos, & tuendi bonos, non est peccatum.

Probatur 1°. Script. ex Psal. 57. v. 11. *Lutabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris*; Ergo vindicta est aliquando licita, cum justus ex Psal. mista possit de ea gaudere; immò ex Paulo possit eam exigere à iudice: dicitur enim ad Rom. 13. quòd Princeps terrenus Dei minister est, *vindex in iram ei qui malè operatur.*

2°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 108. a. 1. in corp. *Si intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis, putà ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem ejus, & quietem aliorum & ad justitiæ conservationem & Dei honorem, potest esse vindicatio licita, aliis debitis circumstantiis servatis.*

3°. Ratione. Cum vindicta fit cum prædictis circumstantiis est actus justitiæ, ergo non est peccatum, sed actio licita.

Conseſtaria hujus principii.

CONSECTARIUM I. Non peccant pri-

vati etiam homines qui coram iudice condignam exigunt injuriarum satisfactionem; possunt quidem si velint injuriam condonare; sed licitè possunt pariter satisfactionem exigere. Immò id aliquando postulat ordo justitiæ ut scelerati timore pœnæ à bonorum vexatione abstineant.

Sic videmus in veteri testamento constitutos iudices coram quibus læsi debitam satisfactionem persequabantur, idemque jus vigere in novo testamento cernimus; cum apud Christianos iudices sint & tribunalia, immò Ecclesia interdum infligit censuras contra eos qui pro injuriis satisfacere recusant.

CONSECTARIUM II. Non peccant personæ publicæ qui pro acceptâ injuriâ debitam satisfactionem exigunt; immò peccarent si non exigerent, cum eorum injuria, vel in Deum, vel in Ecclesiam, vel in rem publicam redundat: tunc enim debent ipsimet eam injuriam ulcisci juxta regulas prudentiæ vel propriæ vel alienæ.

Sic, Elias non ex odio, sed ex instinctu divinitus inspirato jussit ignem de cœlo descendere in eos qui eum comprehensuri venerant. Sic Elisæus maledixit pueris eum iridentibus, qui statim ab ursis devorati sunt. Sic Sylvester Papa excommunicavit eos qui eum in exilium miserunt. Ità D. Thom. 2. 2. 108. a. 1. ad 4.

Ubi tamen cavere debent qui in autoritate sunt constituti; ne sub specie boni publici privatas ulciscantur injurias.

CONSECTARIUM III. Cum ira sit appetitus vindictæ, idem dicendum de ira quæ

de vindicta diximus. Unde ira est licita, vel illicita, & ex parte objecti, & ex parte modi ut docet D. Thomas 2. 2. q. 158. a. Si aliquis, inquit appetat, quòd secundùm ordinem rationis fiat vindicta, est laudabilis iræ appetitus, & vocatur ira per zelum. Si autem aliquis appetat, quòd fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis, putâ si appetat puniri eum, qui non meruit, vel ultra quàm meruit, vel etiam non secundùm legitimum ordinem, vel non propter debitum finem qui est conservatio justitiæ, & correctio culpe erit appetitus iræ vitiosus, & nominatur ira per vitium. Alio modo attenditur ordo rationis circa iram quantum ad modum irascendi, ut scilicet motus iræ non immoderatè fervescat, nec interiùs, quòd quidem si permittatur, non erit absque peccato, etiam si aliquis appetat justam vindictam.

Et art. 3. In responsionibus ad argumenta idem S. Doctor fusè docet iram esse peccatum mortale. Primò. Quando vehementes motus excitat, qui omninò perturbant rationem, juxta illud Job 17. v. 7. *Caligavit ab indignatione oculus meus.* Secundò. Quando ingens malum causat proximo, juxta illud Christi Math. 5. v. 22. *Omnis qui irascitur fratri suo, scilicet malum ingens ei operando, reus erit judicio, & juxta Paulum talem iram inter opera carnis recensentem ad Galat. 1.* Tertiò demum quando ira ita est deordinata ut dilectioni, vel Dei, vel proximi repugnet; tunc enim ut dicit Jacob. 1. v. 20. *Ira viri, id est hominis carnalis, justitiam Dei non operatur.*


Sic peccant qui ex zelo inordinato vel non

irascitur cùm oportet , vel irascitur , cùm non oportet de quo ait Bernar. Epif. 69. *Peccabis non minùs nimis irascendo , quàm omninò non irascendo ; siquidem non irasci , ubi irascendum fit , est nolle emendare peccatum : plùs verò irasci quàm irascendum fit , peccatum peccato addere est.* Tales sunt qui ne irascantur , vel gravissima permittunt scelera , & hi qui non nisi cum amaro zelo culpas vel levissimas arguunt , utrumque extremum qui evitare voluerit imitetur Christum qui & cum zelo expulit è templo vendentes & ementes. Et cum suavitate quoscumque excipiebat peccatores ; sequatur illud Pauli 2. ad Timo. 4 v. 2. *Argue , obsecra , increpa in omni patientia.*

CONSECTARIUM IV. Cum discordia oriatur ut plurimùm ex ira , juxta illud Prov. 15. v. 18. *Vir iracundus provocat rixas : qui patiens est mitigat ; suscitatas :* Eodem modo loquendum de discordia quo de ira , & ita peccant graviter , qui concordés in bono hominum voluntates , discordés efficiunt , juxta illud Prov. 6. *Dominus odit , proferentem mendacia , testem fallacem , & eum qui seminat inter fratres discordias.* Et D. Thom. 2. 2. q. 37. a. 1. in corp. ait , *per se discordat aliquis à proximo , quando scienter & ex intentione dissentit à bono divino , & à proximi bono , in quo debet consentire , & hoc est peccatum mortale ex suo genere , propter contrarietatem ad charitatem.* Licet primi motus hujus discordiæ , propter imperfectionem actus , sint peccata venalia. Non peccant verò qui homines in malo concordés separant , modo viis non utantur iniquis. Hoc enim exemplo suo Chris-

202. MORALIS CHRISTIANA
tus nos edocuit, non veni, inquit, pacem
mittere sed gladium; veni enim separare homi-
nem adversus patrem suum & filiam adversus
matrem suam Math. 10. v. 34. Et D. Thom. 2.
2. q. 37. a. 1. ad 1. sic loquitur. *Causare discor-
diam, per quam tollitur mala concordia, scilicet
in mala voluntate, est laudabile; & hoc modo
laudabile fuit, quod Paulus posuit dissensionem
inter eos qui erant in malo concordēs.*

De scandalo agemus ubi de homicidio.



TRACTATUS QUARTUS

De Religione.

CAPUT PRIMUM.

*Explicatur, quid sit Religio, simulque variè
traduntur notiones, ad intelligentiam hu-
jus tractatus necessariæ.*

Religio, de quâ hîc agimus, est virtus mo-
ralis divinitus infusa, quâ honor Deo de-
bitus redditur, rebusque sacris, in ordine ad
Deum.

Objectum Religionis Christianæ est illud,
quod per Religionem colitur.

Objectum primum Religionis Christia-
næ est Deus supereminens omnibus; unus in
essentia, & trinus in personis; humanitas
Christi, quatenus divinitati hypostaticè unita.

Objectum secundarium Religionis Chris-
tianæ sunt omnes Sancti, & omnes res sacræ;
in quibus specialiter relucet aliquid divinita-
tis: quales sunt sancti Angeli, animæ beatæ,

res sacræ, v.g. Sacramenta Ecclesiæ, Biblia, &c.

Objectum formale Religionis, seu motivum venerandi res sacræ, est suprema divinitatis excellentia, omnibus rebus longè supereminentens; quidquid enim cultu Religioso veneramur, hoc idè facimus; quia in eo relucet, vel divinitas, vel aliquid emanans specialitèr à divinitate.

Religio, alia est habitualis, alia actualis.

Religio habitualis est habitus inclinans ad actus Religionis; & avertens ab actibus Religionis oppositis.

Religio actualis est exercitium actuale Religionis; exercitium autem Religionis est actus, vel elicitus à Religione, vel imperatus per Religionem.

Actus imperatus à Religione, est actus quilibet bonus factus ex motivo Religionis.

Actus elicitus à Religione, est actus; quo honor Deo debitus rependitur ob supremum ejus dominium super omnia, v.g. devotio oratio, &c.

CAPUT II.

De objecto Religionis, sive de his, quæ cultum Religiosum merentur.

ARTICULUS I.

De substantiis spiritualibus, quæ cultum nostrum merentur.

PROPOSITIO I. Sola divinitas potest, & debet supremo patriæ cultu adorari.

Probatur 1^o. Script. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies.* Deut. 6. v. 13.

2^o. Ex Concil. Constantinop. *Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem, ex patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum*: Ergò Deus

unus in essentia, & trinus in personis, est adorandus & conglorificandus.

3°. Ex August. lib. 10. de Civit. Dei cap. 1. *Quæ itaque Latreia Græcè nuncupatur, & Latine interpretatur servitus; sed ea quæ colimus Deum . . . hanc ei tantum Deo deberi dicimus, qui verus Deus est, facitque suos cultores Deos.*

4°. Ratione. 1. Ille solus verè supremum meretur cultum, qui omnibus eminet, qui est causa omnium, & qui est ultimus omnium finis; quia supremus cultus supremam illam exigit & supponit eminentiam: patet autem, quod solus Deus omnibus emineat, omnium sit causa, & ultimus omnium finis: soli ergo Deo supremum cultum exhibere possumus. Hanc rationem innuit Paulus dicens, *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæcula.* Ad Rom. II. v. 36.

Consectaria hujus Doctrinæ.

De his, quæ debent adorari cultu latræ.

CONSECTARIUM I. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, debent adorari supremo latræ cultu; quia quælibet ex illis personis est verus Deus, undè Aug. serm. contra Arianos. cap. 19. *Cum igitur, & Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, ista, quæ latræ vocatur, servitute serviamus, audiamusque legem Dei precipientem, ut nulli alteri, sed soli Domino Deo nostro hanc exhibeamus: procul dubio unus, & solus Dominus Deus noster est ipsa Trinitas, cui uni, & soli talem servitutem pietatis jure debemus.*

CONSECTARIUM II. Verbum Divinum subsistens in natura divina & humana; supremo latræ cultu adorandum est; quia est verus Deus & verus Homo; verus Deus ratione naturæ acceptæ à Patre; verus

Homo

Homo ratione naturæ humanæ acceptæ à Maria, juxtà illud Joan. I. v. 14. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. & Deus erat verbum.* v. 1. *Et verbum caro factum est.* Undè Paulus ad Philip. 2. v. 10. *In nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum,* & ad Habr. I. v. 6. de Christo ait: *& adorent eum omnes Angeli Dei.*

CONSECTARIUM III. Christus, & si verus Homo, constans ex corpore & anima, sicuti nostrum quilibet; tamen verè & propriè cultu patriæ adorandus est; etenim in humanitate Christi, ut dicit Paulus, *inhabitat omnis plenitudo divinitatis,* non figurative, sed corporaliter, id est verè & realiter, ad Coloss. 2. v. 9. Deinde humanitas Christi à divinitate sejungi non potest, unde Athan. *Non enim creaturam adoramus, absit; in Ethnicos, & Arianos istiusmodi delirium competit: sed Dominum verum creatarum, verbum Dei incarnatum adoramus . . . neque verbum adoraturi, verbum à carne longè seponimus: sed cum sciamus verbum carnem esse factum, illud jam in carne situm Deum agnoscimus. Quis igitur tam vecors est, ut Domino ita loquatur: absiste à corpore, ut te adorem; aut quis ita impius est, ut cum Judæis propter corpus dicat ei; cur tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum; Atqui non istiusmodi moribus leprosus te adoravit; adoravit enim verbum in corpore, adoraverunt Apostoli, imò adoraverunt & Angeli.* Epist. ad Adelphium.

CONSECTARIUM IV. Christus sive in Cruce pendeat, sive in Eucharistia lateat,

sive sedens ad dexteram Patris regnet, semper est adorandus cultu patriæ; quia Christus ubicumque sit, est verus Deus. Ita de Christo crucifixo Ambrosius loquitur: *Non lignum Crucis, sed Christum passum adoramus; Regem adoravit Helena, Non lignum utique; quia hic Gentilis est error, & vanitas impiorum; sed adoravit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo.* Ambros. de obitu Theodosii Imperatoris circa finem. Christum autem sub sacramentalibus speciebus velatum adorari ab Angelis, testes sunt sancti Patres passim in suis operibus, sed instar omnium fit istud Augustini dictum in Psal. 98. *Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit . . . non solum non peccamus adorando; peccamus non adorando;* Christum autem regnantem in Cœlis chorus omnis, & Angelorum & Beatorum, perenni adoratione profequitur, ut testatur Symbolum Apostolorum his verbis: *sedet ad dexteram Patris, ei omninò æqualis, ibique cum Patre & Spiritu Sancto adoratur & conglorificatur.*

CONSECTARIUM V. Actiones Christi theandricæ, id est humano - divinæ salutis nostræ operatices, & si transferint, tamen in memoriam revocantur, supremo patriæ cultu, unà cum Christo sunt adorandæ; quia unum de Christo efficiunt. Ita Abbas Cluniacensis Epist. contra Petrobusianos: *Etenim cum dico mortem Domini, Resurrectionem Domini, Ascensionem Domini adoro; non aliud quam mortuum Dominum, resurgentem Dominum, ascendentem Dominum adorare me profiteor. Simili intellectu, cum antè Crucem humiliatus*

prosterior; eum, qui in ipsa olim pro requie nostræ tortus est, pro vita nostra mortuus est, ut Deum & Dominum, cui hoc solum debetur, adoro.

Consectaria ejusdem Doctrinæ.

De his, quæ non possunt cultu patriæ adorari.

CONSECTARIUM I. Nulla res creata sive sit supra nos, ut Angelus; sive sit infra nos, uti res corporeæ; sive sit juxtà nos, uti anima humana; potest supremo patriæ cultu honorari: quia hæc omnia esse nequeunt nostra beatitudo, & suprema veritas, immobiliter figens intellectum creatum. Ita Aug. lib. de vera Relig. cap. 55. *Non sit nobis Religio in Phantasmatis nostris, Melius est enim quatecumque verum, quam omne quicquid pro arbitrio fingi potest. Et tamen animam ipsam, quamvis anima vera sit, cum falsa imaginatur, colere non debemus . . . non sit nobis Religio humanorum operum cultus, Meliores enim sunt ipsi artifices, qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus . . . non nobis sit Religio, cultus scilicet patriæ, hominum mortuorum: quia si piè vixerunt, non sic habentur, ut tales querant honores; sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante letantur, meriti sui nos esse consortes; Honorandi ergò sunt propter imitationem; non adorandi propter Religionem. . . Non sit Religio in Angelis; neque enim & nos videndo Angelum beati sumus, sed videndo veritatem, quâ etiam ipsos diligimus Angelos, & his gratulamur. . . & rursus Deus verus co-*

lendus est; quo solo fruens beatus fit cultor ejus, & quo solo non fruens, omnis mens misera est; quâlibet aliâ re perfruatur, Lib. 2. contra Faust. cap. 5.

CONSECTARIUM II. Nullus Sanctus, sive Patriarcha, sive Propheta, sive Apostolus, sive Martyr, quantâcumque sanctitate emineat quantâcumque miracula operetur, potest patriæ cultu adorari; quia res creata est, quâ utendum, & non res increata, quâ fruendum: ideò, & Angeli, & Sancti non patiuntur se adorari; sed è contra prohibent: Sic enim habet Joannes: *Et cecidi ante pedes ejus, scilicet Angeli, ut adorarem eum; & dicit mihi, vide ne feceris; conservus tuus sum & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu; Deum adora.* Ap. 19. v. 10. Paulus & Barnabas Litrïensibus volentibus eis sacrificare, fortiter restiterunt, dicentes: *Viri quid hæc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum.* Act. 14. v. 14. quod ita paucis explicat Aug. contra Faust. lib. 20. cap. 21. *Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & societatis. . . at eo cultu, quæ Græcè latria dicitur, Latine dici uno verbo non potest, cum sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.*

PROPOSITIO II. Cultus supremus Deo debitus in nomine Christi mediatoris nostri, exhibendus est sanctissimæ Trinitati.

Probatur 1^o. Script. *Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Joan. 14.6. *Ego sum ostium per me si quis in-*

troierit, salvabitur, cap. x. v. 9. & rursus, Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub cælo, datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Act. 4. v. 12. unus enim Deus; unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. 1. ad Tim. 2. v. 5. Ergo omnis cultus noster erga Deum per Christum exhibendus est.

2°. Traditione, ex perenni Ecclesiæ praxi patet cultum omnem in nomine Christi exhibendum sanctissimæ Trinitati; ideo omnes orationes sic concludit: *Per Dominum nostrum Jesum Christum.*

3°. Ex Aug. *Sicut enim, inquit Aug. Diabolus superbus hominem superbientem reduxit ad mortem: ita Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam; quia sicut ille elatus cecidit, & dejecit consentientem: sic iste humiliatus surrexit & erexit credentem.* Lib. 4. de Trin. cap. 10. Ergo, per Jesum Christum, cultus noster erigatur necessarium est, & rursus idem Aug. *Oratio autem, quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum,* in Psal. 108. v. 9.

4°. Ratione. 1. Rat. Mediator inter Deum, & homines debet esse simul, & deus & homo; quia medium de utroque extremo participat. Solus autem Christus est simul Deus, & homo; Deus ratione naturæ acceptæ à Patre, homo ratione naturæ acceptæ à Maria; solus ergo Christus potest esse mediator inter Deum & homines; & proinde per Christum omnis cultus noster Deo est exhibendus.

2. Ratio. Homo lapsus per peccatum à justitia originali, in quà constitutus fuerat, eget mediatore, quò resurgat ab illo infelici statu, in quem detrusus est: hunc mediatorem in homine solo reperire non potuit, quia homo peccator est; in dæmone quaerere non debuit, quia dæmon illusor est; in Angelo ambire non oportuit, quia Angelus minister est, & servus in domo Dei: ergo in solo Christo; Deo simul & homine, verus mediator occurrere potuit; ut docet Paulus: *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, Sanctus, Innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*, ad Hebr. 7. v. 26.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Ut cultus religiosus fit Deo acceptus, debet in nomine Christi exhiberi. *Per ipsum ergò*, ait Paulus, *offeramus hostiam laudis semper Deo placentem, idest fructum labiorum confitentium nomini ejus*, ad Hebr. 13. v. 15. . . . Sic in lege naturæ, sacrificium Abel, sacrificium Enoch, sacrificium Noë offerebatur in nomine Christi, qui promissus fuerat, his verbis: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius; ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus*. Gen. 3. v. 14.

Sic in lege Mosaïca, omnia sacrificia fiebant in fidem Christi venturi, qui eis per Moysen promissus fuerat, his verbis. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*. Deut. 18. v. 15.

TRACT. IV. DE RELIG. 21

Sic in lege Evangelica, nihil fit sancte, nisi in nomine Christi: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Joan. 14. v. 6.

Sic demum in cœlo, perenne laudis sacrificium ab omnibus electis perenniter offerendum, non nisi per Christum, & in nomine Christi offeretur: *Talem, inquit Paulus, habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, Sanctorum Minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.* Ad Hebr. cap. 8. v. 1. hinc est, quod Joannes, *vidit agnum stantem in medio throni tamquam occisum* Apocal. 5. v. 6. idest, oblatum à prædestinatis, & offerentem prædestinatos.

CONSECTARIUM II. Nullum est exercitium spirituale in Christiana Religione, quod magis apud Deum valeat, quam pietas erga Deum per Christum. Hæc est illa pietas, quæ utilis est ad omnia. Hoc illud est ostium, per quod si quis non introierit, ille fur est & latro. Hoc illud est altare, extra quod si quis sacrificaverit, pollutus erit & profanus, stat enim firmum illud Christi effatum: *Qui non colligit mecum, dispergit.* Luc. 11. v. 23.

PROPOSITIO III. Quamvis solus Deus supremo patriæ cultu venerandus sit per Christum, & in nomine Christi; tamen Maria, Angeli, animæ beatæ, & res sacræ inanimes, possunt sine idololatriæ vitio honorari; cultu tamen longe inferiori. Delatus Virgini, Hyperdulia nuncupatur, delatus verò Angelis & animabus sanctis, dulia dicitur; delatus verò rebus insensibilibus ad Deum

vel sanctos specialiter pertinentibus, cultus dicitur honoratius vel respectivus.

Probatur 1^o. Script. *Mibi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Psal. 138. v. 17. Ergò Sanctos, utpote Dei amicos, venerari possumus.

2^o. Ex Concil. Trid. sess. 25. De invocatione Sanctorum, ubi mandat his, qui curam docendi habent, *ut fideles omnes diligenter instruant, docentes eos, sanctos unum cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere.*

3^o. Ex perenni praxi Ecclesiæ patet semper in honore habitos fuisse Sanctos. Dicitur enim in confessione publica: *Ideò precor beatam Mariam semper virginem, & omnes Sanctos.* Quod omni tempore fuisse observatum adeò certum est, ut inimici Ecclesiæ hanc consuetudinem, ut ridiculam, à Paganis derivatam voluerint. *Ridiculum esse dicebant, inquit Theodoretus, quod honore Martyres prosequamur, & insignis stultitiæ, si viventes ab his, qui vita functi sunt, ullum sibi commodum comparare contendant.* Prolog. Græcar. affect. & juxtà Aug. Manichæi nos eodem convitio verberabant, ut constat ex lib. 20. contra Faust. cap. 4. *Desciscentes à gentibus... sacrificia eorum vertistis in Agapes, idola in Martyres, quos votis similibus colitis, defunctorum umbras vino placatis, & dapibus.*

Rem illam ex professo tractat Hieron. contra Vigilantium cap. 3. *Dicis, inquit, in libello tuo, quod dum vivimus, mutuò pro nobis orare possumus; postquam autem mortuū fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio; præsertim cum Martyres, ultionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiverint.* En objectio Vigilantium, cui ita respondet Hieron. *Si Apostoli & Martyres, adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti; quanto magis post coronas, victorias, & triumphos. . . Meliorque erit Vigilantius canis vivens, quam Paulus leo mortuus. Rectè hoc de Ecclesiaste proponerem, si Paulum in spiritu mortuum confiterer. Denique Sancti non appellantur mortuū, sed dormientes, cui Concordat Ambr. dicens, Obsecrandi sunt Angeli pro nobis. . . Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pigrore patrocinium vindicare; possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam, si quæ habuerint, peccata laverunt. . . non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere; quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cum viverent, cognoverunt.* Lib. de Viduis cap. 9.

4°. Ratione. 1. Ratio. Cultus Religiosus includit fidem, spem, & charitatem, ut docet Ecclis. cap. 2. v. 8. his verbis: *Qui timetis Dominum, credite illi. . . qui timetis Dominum, sperate in illum. . . qui timetis Dominum, diligite illum:* sed nihil vetat nos exhibere Mariæ, Angelis, & Sanctis fidem, spem, & charitatem, modo id fiat cum subordinatione ad Deum: Ergò nihil vetat, ut eis

cultum religiosum exhibeamus. Totum patebit hac inductione.

Deo credimus, quia verax est; sed quâ fide Deo revelanti credimus, eâdem Sanctis & Angelis revelationem nobis Divinam communicantibus assentimur; *Spiritu Sancto quippe inspirati locuti sunt sancti Dei homines*; quod si præconibus Divinæ revelationis fidem negamus, Deo pariter negemus necessarium est. . . . In Deum speramus; quia omnipotens: sed quâ spe in Divino auxilio confidimus, eâdem in Sanctis, nobis à Domino in auxilium missis, intrepidi confirmamur; scriptum est enim: *Angelis suis Deus mandavit de te, custodiant te in omnibus viis tuis.* Psal. 90. v. 11. . . . Deum diligimus; quia est summè bonus: sed quâ dilectione Deum diligimus, eâdem Sanctos, Divinæ bonitatis per beatitudinem immobiliter participes, diligamus necessarium est; undè Joan. 1. cap. 4. v. 21. *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligit & fratrem suum*: idest unâ & eâdem dilectione Deum & proximum diligit.

2. Ratio. Cultus Deo debitus, in spiritu, & veritate exercendus; non singularis esse debet, sed communis; non privatus, sed publicus; oblatus per nos Christo, & per Christum Deo: adeo ut omnes Sancti, tam comprehensores, quam viatores se se offerant Christo; & Christus, & Sanctos, & se se offerat Patri indissolubili oblatione; qualem decet esse inter caput & membra. *Ita multi unum corpus sumus in Christo.* Ad Rom. 12. v. 5. Sicuti ergo unius, & ejusdem corporis mem-

bra, mutud se juvant spirituum animalium commercio: ita sancti omnes mutuis se juvant apud Deum precibus. Et rursus uti membra ignobiliora honorem deferrerunt nobilioribus; ita viatores homines honorem deferant sanctis comprehensoribus justum est,

In illa autem precum communionem, in illa erga sanctos reverentia, situm esse cultum Dulix; & Hyperdulix contendimus: qui cultus nihil habet, quod idololatriam sapiat; nec enim, ut opinantur perperam heretici, Angelis, aut sanctis, vel immensitatem, vel omnipotentiam, vel omnium rerum scientiam attribuimus, qua, & preces audire, & exaudire valeant; quod vident, Deo revelante, vident; quod faciunt, Deo operante faciunt; quibus prestò sunt, Deo adjuvante opitulantur: & ideo cum Mariam, Angelos, vel Sanctos, veneramur; non in creaturis cultum nostrum sistimus; sed solam sapientiam, potentiam, misericordiam Dei, in ipsis relucentem, & per eos ad nos derivatam, veneramur: ut docet Aug. de Trin. lib. 18. c. 6.

§. I.

De cultu Mariæ.

Nihil est in Ecclesia firmiter stabilitum, quam cultus specialis Hyperdulix, qui à singulis fidelibus defertur Virgini Mariæ: quia Maria est quidem Christo inferior, sed est omnibus puris creaturis excellentior in donis supernaturalibus; ideoque majorem meretur reverentiam. Christus meretur cultum supremum; quia in Christo, ut dicit

Paulus, *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Col. 2. 9. Maria meretur cultum inferiorem; quia per novem menses in eâ habitavit Divinitas, juxtâ illud Angeli: *Dominus tecum.* Christus habet omnem plenitudinem gratiæ pertinentem ad officium Redemptoris; *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.* Joan. I. v. 14. Maria habet plenitudinem gratiæ pertinentem ad officium Patris Dei, juxta illud Angeli: *Ave Maria gratiâ plena.* Christus est collocatus, non in ordine naturali præcisè, uti res, quæ istum mundum constituunt; non in ordine gratiæ præcisè, uti res, quæ ad salutem nos conducunt: sed insuper fitus est in ordine hypostatico, ut dicunt, subsistens eâ subsistentiâ, quâ verbum subsistit. Maria pariter habet, quod quodammodo ad ordinem hypostaticum petineat; cum verè mater sit non hominis solum sed Dei; quâ dignitate nihil altius. Christus magnus fuit, non divitiis, sed virtutibus, non potestate, sed sanctitate, quæ dotes verum cultum merentur. Ita & Maria in omnibus fuit Christo simillima, manens tamen pura creatura, Mariæ dignitatem, simulque honorem ei debitum his verbis complexa est Ecclesia, quæ illi hæc Scripturæ verba accommodat: *Aurora fulgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Dicitur 1°. *Aurora fulgens*: Sicut enim Aurora est prænuntia Solis venturi; ita Maria & prænuntia, & Mater fuit Christi; qui est sol & lux spiritualis, *illuminans omnem ventientem in hunc mundum.* Joan. I. v. 9. 2°. *Pulchra ut Luna*: nam sicuti nullum est

sydus

fydus foli fimilius quam Luna ; ita nullus Sanctus Christo fimilior , quàm Maria. 3°. *Electa ut Sol* : etenim ficuti in sole collegit Deus omnem copiam lucis in variis difperfam fyderibus ; ita in Maria voluit Deus longe uberiozem reperiri gratiarum collectionem , quàm in omnibus sanctis. 4°. *Terribilis , ut caſtrorum acies ordinata* ; quia hæc eſt , de qua ſcriptum legitur : *inimicitias ponam inter te & mulierem . . . Iſſa conteret caput tuum*. Gen. 5. v. 15.

§. II.

De cultu Angelorum.

2°. Nihil eſt in Eccleſia antiquiùs ſtatutum , quàm cultus Dulix ſanctis Angelis exhiberi ſolitus : Angeli quippe , ut ait Paulus , *sunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos , qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Ad Hebr. 1. 14. quapropter reverentiam eis per ſanctiores homines exhibitam legimus. Jacob ait , *Angelus , qui eruit me de cunctis malis , benedicat pueris iſtis* , Gen. 48. v. 16. & Joannes innuens gratiam & pacem ad nos miniſterio Angelorum derivare , ait : *Gratia vobis & pax ab eo , qui eſt , qui erat , & qui venturus eſt , & à ſeptem ſpiritibus , in conſpectu throni ejus*. Apoc 14. Deus enim ita ordinem ſuæ providentiæ diſpoſuit , ut Synagogam , Eccleſiam , imò cœleſtem Jeruſalem , non niſi Angelorum miniſterio , dirigat. Angeli olim Synagogæ præficiébantur , juxta illud dictum Moyſi : *Ecce ego mittam Angelum*

meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paravi. Exod. 23. v. 20. Nunc Angeli Ecclesiæ continuò ministrant, tum eam à malis purgando, ut indicant hæc Christi verba: *mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui operantur iniquitatem.* Math. 13. 41. tum parvulis, idest justis, opitulando: *Angeli eorum semper vident faciem patris mei.* Math. 18. v. 10. ut eos scilicet adjuvent. Demum Angeli cœlestem Jerusalem ornant, throno Domini semper assistendo, ut testatur Joan. cum ait; *& vidi, & audiui in circuitu throni vocem Angelorum multorum dicentium: . . . Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem.* Apol. 5. v. 11. Unde vix dici potest, quot beneficia Angeli hominibus conferant. Debiles potentiâ suâ sustinent; & in hoc imitantur Patrem, cui attribuitur potentia. Cœcutientes suâ luce illuminant; & in hoc imitantur Filium, cui attribuitur sapientia. Tepidos suo ardore inflammant; & in hoc æmulantur Spiritum Sanctum, cui attribuitur amor.

Justos promovent ad virtutem, eorumque orationes Deo offerunt, juxta illud: *Spevit Angelus ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium.* Apoc. 8. v. 3. Peccatores à vitiis avocant, & pro eis omnipotentem orant: *Usquequo tu non misereberis Jerusalem, & verbum Juda, quibus iratus es;* ait Angelus Zachar. 1. v. 12.

Singulos, si fas est, percurramus homi-

nes, quis est homo, quem Angeli singulari beneficio non devinciant. Unumquemque nostrum à Nativitate custodiunt, juxta illud Psal. 90. v. 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* quæ verba & si Augustinus de Christo ad honorificentiam intelligat; Theodoretus & Bernard. ad omnes homines referunt. Et ita fideliter custodiunt, ut nec pertinaciores peccatores deserant, donec, quantum in ipsis est, eos post mortem suscipiunt, ut Deo offerant, juxta illud Luc. 16. v. 22. *Factum est, ut moreretur mendiculus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Dum sic contra aëreas decertamus potestates, obsessos à dæmonibus majori & fortiori numero cingunt nos, uti cingebant Elisæum. *Et ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elysei.* 4. Reg. 6. v. 17. circumstantes dæmones, aut ligant, ut Raphaël ligavit Asmodæum in deserto, Tob. 8. v. 3. aut eorum ora vorantia concludunt, uti fecerunt in gratiam Danielis, qui ait: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Dan. 6. v. 22. 8°. Concupiscentiæ flammam temperant, trisitiæ acorem mitigant; uti flammam fornacis Babylonicæ cohibuerunt, ne nocerent pueris, & ab eis omnem doloris & trisitiæ causam longè averterunt, juxta illud: *& fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.* Dan. 3. v. 50. 9°. Errantes revocant, uti reduxerunt Agar ad Saram, Genes. 16. v. 9. 10°. Periclitantur

res à discrimine peccati liberant, uti liberarunt Loth à Sodomis. Sic enim loquitur Scriptura: *cogebant eum Angeli, dicentes: surge, tolle uxore tuam & duas filias, quas habes: ne & tu pariter pereas.* Gen. 19. v. 15. 11°. Detentos peccatis liberant, uti Petrum eduxerunt è carcere de quo ita Script. Act. 12. v. 7. *Et ecce Angelus Domini astitit; Act. 12. v. 7. & lumen refulsit in habitaculo; percussitque latere Petri, excitavit eum, dicens: surge velociter, & ceciderunt catenæ de manibus ejus.*

Denique multa similia conferunt beneficia; quæ omnia gratum animi cultum haud dubiè promerentur. An enim, ut optimè quidam recentior ait, verabimur gratias illis habere, qui nos tot obruunt officiis? An orabunt illi pro nobis, nec ut orent, orari, & compellari poterunt? an nostras commendabunt orationes, suisque exaggerabunt; nec tantum beneficium fas erit nobis, vel prece aliqua demereri, vel postea gratiarum actione commemorare? an ergo grata Deo non est Religio nostra, nisi ingrata? numquid ut pii simus, abdicanda pietas est, & obdurandus animus; ut adjutores, fautores, præfides, gratulatoresque salutis nostræ, sanctos Angelos, taciti, duri, brutique prætermittamus, & aspernemur? ita Thomassinus de Incarn. lib. xi. cap. 4. num. 3.

§. III.

De cultu Sanctorum.

Nihil justius stabilitum est in Ecclesia cul-

tu Dulciæ erga Sanctos beatitudinis æternæ participes ; eadem enim est ratio de animabus Sanctis , quæ est de Angelis ; Sancti enim sunt in cœlo Angelis æquales , juxta illud Math. 22. v. 30. *Erunt sicuti Angeli Dei in cœlo.* Deindè Sanctorum invocationem suadere non operosum est. 1°. Christus intercedit pro nobis secundum humanitatem : *semper vivens ad interpellandum pro nobis* , ad Hebr. 7. v. 25. *si quis peccaverit advocatum habemus Jesum Christum justum.* 1. Joan. 2. v. 1. si ergò caput nostrum orat pro nobis ; cur non etiam membra ejus , sancti scilicèt cum eo regnantes ; & se se Christo conformantes , non orarent pro nobis. 2°. Vivi orant pro se invicem : *Orate pro invicem , ut salvemini.* Jacobi 5. v. 16. cur animæ beatæ charitate perfectiores , apud Deum ferventiores , intentione puriores , obmutescunt ? 3°. Aut Sancti non orant pro nobis in cœlis ; uti orabant in terris ; vel quia res est eis indigna , & ita oratio illa non conveniet Christo ; aut quia res est tantæ excellentiæ , ut soli Christo & non aliis conveniat : quod si ita sit , ergò non conveniet nobis viatoribus ; aut quia res est impossibilis puris creaturis , preces nostras ignorantibus , quasi Deus revelare non possit sanctis præsentiam , qui revelavit Prophetis futura ; revelare , inquam , vel in verbo , vel extra verbum , ut loquuntur Theologi

Quomodo autem sancti possint , & preces nostras audire Deo revelante , & exaudire Deo approbante , incertum est ; illud solùm pro certissimo habendum , sanctos & preces

nostras audire, nobisque posse supplicias ferre; preces nostras audiri à sanctis docet Aug. lib. de cura pro mortuis cap. 15. Illud idem docet Greg. Dial. 4. cap. 35. & lib. 2. Moral. cap. 3. *Quomodo, inquit, non omnia videant, qui videntem omnia vident.* Et Amb. ferm. 14. sancti Nazarii, & Celsi *non clauditur locis martyr, qui diffunditur meritis; invocasti ubique martyrem, ubique te exaudiet ille, qui honoratur in Martyre.*

Sanctos autem nobis ubique supplicias ferre, testis Hierony. contra Vigil, *Si agnus ubique, ergò & hi, qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt, non immensitate nature æti Deus, sed celeritate operationis, uti servi Domini, & cum diabolus, & demones toto vagantur orbe, & celeritate nimia ubique presentes sint; Martyres post effusionem sui sanguinis arcâ operientur inclusi, & inde exire non poterunt, & Ambr. ferm. de sanct. Nazario & Celso, ita nos ad martyrum venerationem adhortatur. Nemo autem sibi de absentia blandiatur, Præsentior est, qui se animis inserit, quam qui oculis protestatur. . . . 5°. Omnia suadent sanctos vitâ functos ardentius pro nobis orare, quàm dum viverent; quippè nunc major est eorum charitas, major authoritas, major securitas, universalior provida eorum cura, soli orabant in terris, in cælis omnes simul. Hic dissipabantur curis, ibi solo Deo occupantur.*

§ IV.

De cultu exhibito corporibus sanctorum.

4^o. Non idololatrica, sed pia est, quæ redditur corporibus sanctorum, veneratio: fuit enim teste Hierony. contra Vigilant. & in Sinagoga apud Judæos, & in Ecclesia apud Christianos perennitèr observata; de hoc enim ita loquitur contra illum hæreticum; *si non sint honorandæ reliquie Martyrum; quomodo legimus: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Si ossa mortuorum polluant contingentes; quomodo Elisæus mortuum mortuum suscitavit, & vitam dedit corpus, quod juxta Vigilantium jacebat immundum: ergò omnia castra Israëlitiæ exercitiis, & populi Dei fuere immunda; quia Josephi, & Patriarcharum portabant corpora in solitudine, & ad terram sanctam immundos cineres pertulerunt? Joseph quoque, qui in typo præcessit Domini salvatoris nostri, sceleratus fuit, qui tanta ambitione Jacob in Hebron ossa portavit, ut immundum patrem avo, & atavo sociaret immundis, & mortuum mortuis copularet. A Sinagoga transit ad Ecclesiam. Ergò Martyrum immundæ sunt reliquie, & quid passi sunt Apostoli, ut immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent, ut facerent ei plañctum magnum, ut eorum luctus in nostrum gaudium verteretur..... Sacrilegus dicendus est nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuëlis longo post tempore de Judea transtulit in Thraciam... Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis re-*

liquiis . . . Mortuum suspicaris , & id circò blasphemias : lege Evangelium , Deus Abraham , Deus Isaac , Deus Jacob ; non est Deus mortuorum , sed vivorum . An vivent factorum reliquæ ad beneficia præstanda , & non ad obsequia recipienda . Et ne Hieronimus solus de hac re scripsisse putetur ; audiatur Basilii in psal. 115 . In priori lege dicebatur Sacerdotibus & Nazaræis illud : si quis tetigerit cadaver , immundus erit . . . Nunc è diverso , Martyris ossa quisquis attigerit , ob gratiam corpori insidentem , fit quadantenus sanctificationis particeps . Et Chrysost. Homil. in sanct. Julianum docet nos per ossa sanctorum inflammari ad pietatem ; sicuti imbelles per arma cruentata excitantur ad pugnam ; & beatos illos cineres Christianis sanctam pandere Philosophiam . Et Hom. 26. in 2. cor. cap. 12. Fusè docet honorem sanctorum reliquiis exhibitum , in ipsam Christi gloriam redundare , regnat , inquit , gloriosè Christus ; cum corpora sanctorum à vivis imperatoribus impensius honorantur , cum ad sanctorum sepulchrum reges advolvuntur .

§ V.

De cultu Reliquiarum.

5°. Non idololatrica , sed pia est ea Ecclesiæ consuetudo , quâ rebus inanimibus specialem aliquem ordinem , vel ad Deum , vel ad sanctos dicentibus , cultus impenditur . *ô quanta sanctorum virtus , inquit Chrysost. Hom. 8. ad Popul. Antioch. Non sola ipso-*

rum verba & corpora, sed & ipsa indumenta creature omni perpetuò venerabilia sunt. Elie Melote Jordanem divisit, Elyseus. Calceamenta trium puerorum ignem conculcaverunt. Elysei lignum aquas mutavit, & ut ferrum in superficie portarent effecit. Moysis virga mare rubrum divisit, petram scidit; Pauli vestimenta langores expulerunt, umbra petri mortem fugavit. Eidem argumento insistit Hyeron. Episc. ad Marcellam hortando, ut commigret Bethleem. Venerabantur quondam Judæi Sancta Sanctorum; quia ibi erant Cherubim & propitiatorium, & arca testamenti, manna, virga Aaron, & altare aureum. Nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum Domini; quod quotiescumquè ingredimur, toties jacere in syndone cernimus salvatorem.

§ VI.

De Cruce, in quâ Christus pependit. De lanceâ, clavis, aliis instrumentis Passionis Christi quæ sunt quasi Christi reliquiæ.

Ipsa crux, in quâ Christus pependit, lancea, quâ ejus latus perforatum est; spinæ, quibus caput opertum est; clavi, quibus manus & pedes Christi cruci affixi sunt; demum hæc omnia instrumenta, quibus Christus salutem nostram in cruce operatus est; magno in honore in Ecclesiâ sempèr habita sunt.

Probatur v°. Ex Cyrillo, qui docet lignum crucis Christi ad diversas orbis regiones particulatim missum; ità enim loquitur Catechesi quarta. *Ligno crucis universus tan-*

dem orbis terrarum particulatim oppletus est!
 & Cathechesi X. ait: studium illud sumendi particulas crucis Christi ex fide procedere.

2°. Ex Chryfostomo libro, quod Christus fit Deus, totus orbis, inquit, exiguas crucis particulas habere contendit, & qui parvum quiddam ex illo habent, hoc auro includunt. . . Omnes eo magis ornantur, quam diadematum coronis, vel multis gemmatis monilibus & torquibus.

3°. Ex Theodoro in caput I. Isaïæ, ubi loquens de Jerusalem ait: *Ad illam conflunt homines, videre gestientes, non murorum amplitudinem, neque turrium sublimitatem, &c. Sed sepulchrum Dominicum, & crucis formam Dominica, & parvum illud, sed famâ celeberrimum præsepe.*

4°. Ex Paulino scribente ad Severum Epistola II. eique mittente particulam de ligno crucis, cui donum illud ita commendat, *Accipite, inquit, magnum in modico munus, & in segmento penè atomo hastula brevis, sumite munimentum præsentis, & pignus æternæ salutis. Non angustetur fides vestra carnalibus oculis parva cernentibus, sed internâ acie totam in minimo vim crucis videat. . . . Tubello aureolo rem tantæ benedictionis inclusimus, &c.* Et idem Paulinus docet quod experimento resurrectionis inventa & probata crux Christi est, dignoque mox ambitu consecratur, condita in passionis loco Basilica. . . Arcano postquam sacrario crucem servat, quam Episcopus verbis ejus. . . Adorandam populo princeps ipse venerantium promit.

5°. Ex Ambrosio sermone de obitu imperatoris Theodosii, ubi describens zelum Helenæ ait : *Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite regum levavit & locavit, ut crux Christi in regibus adoretur, &c.*

Ex rustico, qui contra Acephalos disputans ait : *Clavos, quibus Christus crucifixus est, & lignum venerabilis crucis, omnis per totum mundum Ecclesia absque ulla contradictione adorat.*

6°. Ex Hyeronimo Epistolâ ad Marcellam, eam adhortans ut commigret Bethleem, ubi ait : *Venerabantur quondam Judei Sancta Sanctorum, &c. . . . Nonnè tibi venerabilius videtur sepulchrum Domini ?*

Probatur demùm ratione D. Thomæ. Honor seu reverentia, inquit, S. Doctor non debetur nisi rationali naturæ ; creaturæ autem insensibili non debetur honor vel reverentia, nisi ratione spiritualis naturæ, quam vel representat, vel cùm quâ conjungitur ; undè homines venerantur imaginem, quæ Regem representat, & vestimenta, quæ cùm eò uniuntur. Sic ergò, si loquamur de cruce, in qua Christus crucifixus est, utroque modo à nobis veneranda est ; uno scilicet modo, in quantum nobis representat figuram Christi extensi in ea ; alio modo ex contactu ad membra Christi, & ex hoc quod ejus sanguine perfusa est.

Si quæras, quo cultu hæc crux adoranda fit ?

Respondeo juxtâ aliquos eâdem adoratione adoratur, quâ Christus ; quia Christus una cum cruce unum efficit : causa enim

principalis, ut aiunt, & instrumentalis, unum & adæquatum efficiunt principium: Juxtà alios adoratur solum adoratione respectivâ; quia aspersa Christi sanguine Christum vividius in mentem revocat, quàm aliæ cruces, quæ ipsum representant.

ARTICULUS II.

De usu & cultu symbolorum & imaginum.

Symbolum est signum sensibile aliquid spirituale subobscurè exhibens. Tales sunt Metaphoricæ locutiones, quibus divinitas nobis in scripturâ depingitur.

Imago est rei corporeæ similitudo, ad instar illius expressa. Talis est Imago hominem representans.

§. I.

De usu Symbolorum.

PROPOSITIO I. Licitum est Symbola efformare, quibus Dei naturam, ejusque proprietates, sub figuris sensibilibus exprimamus.

Probatur 1^o. Script. Licitum est sub his signis sensibilibus Deum representare, sub quibus Scriptura eum representat, & quibus Deus ipse voluit apparere hominibus: atqui Scriptura sub signis sensibilibus Deum nobis sæpè representat, & ipse sub iis voluit nobis apparere: Ergò, &c. Probatur minor per partes.

Primò

Primò, Deus dicitur in Scripturis habere vultum, oculos, pedes, manus, &c. Non eo sensu, quod Deus figuram humanam habeat, sed eo sensu, quod membra humana Deo adscripta, proprietates Divinas significant, v. g. oculi significant providam ejus curam super justos, juxtà illud: *oculi Domini super justos*; significant etiam vim penetrandi omnia, juxtà illud: *oculi Domini sole lucidiores*. Aures designant paternam promptitudinem in exaudiendis nostris precibus, juxtà illud: *& aures ejus in preces eorum*. Nares, odoratusvè designant gratam tum precum tum sacrificiorum approbationem, juxtà illud: *odoratus est Dominus odorem suavitatis*. Os, loquelavè designant claram Divinæ voluntatis manifestationem, juxtà illud dictum de Moyse; *ore ad os loquor ei*. Vultus, & facies designant modò iram Dei, modò Dei misericordiam, juxtà diversos modos, secundum quos describuntur: vultus iratus Dei iram; vultus benignus Dei misericordiam exprimunt.

Manus & dextera significant efficacem operationem virtutis Divinæ, juxtà illud, memento . . . quod te eduxerit Deus de Ægypto *in manu forti & brachio extento*. Pedes, incessus, festinatio designant, tum auxilium Dei ergà pios, tum ultionem Divinam ergà impios, juxtà illud, *Domine ad adjuvandum me festina*, idest, mihi promptè succurre.

Secundò, Deus sub multiplici specie corporeâ apparuit hominibus; apparuit enim Deus Adamo innocenti deambulans in Paradiso, & familiari converfans colloquio; ap-

paruit & Adamo peccatori dicens: *Eccè Adam quasi unus ex nobis factus est*, ejicit illum è Paradiso voluptatis, ejusque ingressum vetat flammeo gladio atquè versatili. Abeli apparuit juxtà multos in igne oblatas hostias inflammante. Noëmo visus est sensibilitèr, futurum prænuntians diluvium. Ad Abraham venit sub hominis forma, & sub hospitis figura. Jacob viatorem exeuntem è domo paternâ comitatur, & cùm eo redeunte colluctatur. Moysem, modò in rubo ardenti, modò in mente accenso, alloquitur, modò digito suo descriptum præbet Decalogum.

3°. Ex Synod. 7. Act. 6. ubi Epiphanius Diaconus probat licitum esse uti Symbolis & imaginibus, ex eo quod licitum sit sacram scripturam legere; sic enim ratiocinatur: *Si Evangelium legendum patres minimè tradiderunt, nec imagines figurandas: at si hoc & illud; sequitur enim titulationis, vel picturæ formatio Evangelicam relationem, & hæc, picturalem narrationem: utraque bona ac honorabilis.* Et Adrianus Papa scribit ad Patres ejusdem Concilii Act. II. his verbis: *sicuti Divinæ Scripturæ libros, ipsas imagines ob memoriam venerationis habemus, nostræ fidei puritatem servantes: Ergò sicuti licitus est haud dubiè sacræ scripturæ usus, divinas perfectiones legentibus exhibentis; ita & licitus est symbolorum usus, res spirituales quibuscumque intuentibus exhibentium.*

4°. Ratione. Ea est hominis natura, saltem post peccatum Adami, ut spirituales Dei perfectiones, nonnisi per sensibiles figuras sibi depingere valeat, ut quilibet experitur;

undè ait Paulus ad Rom. I. v. 20. *Invisibilia Dei, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur. Sempiterna quoque ejus virtus & divinitas*: Cum ergò Deus naturæ hominum se se accommodet, non vetat, imò permittit, ut perfectiones divinas, licet spirituales, nobis sub his sensibilibus signis, seu symbolis, quæ scriptura commemorat exhibeamus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

C O N S E C T A R I U M I. Illicitus est eorum symbolorum usus, quibus divinæ perfectiones depinguntur; si nullum fundamentum habeat, neque in scripturâ, neque in traditione; sed in solâ vel pictorum imaginatione, vel hominum ad idololatriam proclivio.

Undè, ait scriptura Deut. 4. v. 15. *Non vidistis aliquam similitudinem in die, quâ locutus est Dominus vobis in Horeb de medio ignis; ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel femine, similitudinem omnium jumentorum* Et errore deceptus adores ea & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt. Et Isaias 40. v. 18. *Cui ergò similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? & v. 25. Cui assimilatis me, & adæquastis, dicit sanctus? & Paulus Act. 17. v. 19. Genus ergò cum simus Dei, non debemus æstimare, auro, aut argento, aut lapidi, sculpture artis, & cogitationis hominis, divinum esse simile,* Et Synodus 7. Act. 6. *Si*

232 MORALIS CHRISTIANA,
animam, præsertim cum sit creata, impossibile est depingere: quanto magis incomprehensibilem & investigabilem unigeniti filii divinitatem. Et Damascenus oratione primâ de imaginibus ait: Imagine non divinitatem invisibilem, sed carnem visibilem, exprimo.

CONSECTARIUM II. Licitus est eorum Symbolorum usus, quibus divinitatis perfectiones his figuris exprimimus, quæ fundamentum habent, vel in scripturâ, vel in traditione. Sic depingi potest pater æternus crine niveo, senectâ venerandâ, & antiquitate, sedens in Throno, coram quo libri omnes aperti sunt, septus Angelis, ignitus sede; quia sic Danieli apparuit: quâ visione, inquit Catechismus Concilii, significatur Dei æternitas, & infinita ejus cognitio, quâ omnes hominum & cogitationes & actiones, ut de iis judicium ferat, intuetur.

Sic Spiritus Sanctus potest depingi sub specie nubis, sub specie columbæ, sub specie ignis; quia apparuit sub specie nubis obumbrantis Virginem, sub specie columbæ designantis Christum, & sub specie linguarum ignitarum inflammantium Apostolos.

PROPOSITIO II. Licitus est usus, vel Symbolorum, vel Imaginum, quibus nobis depinguntur Angeli.

Probatur Script. Licitum est sub his signis sensibilibus Angelos representare, sub quibus Scriptura eos representat, & sub quibus ipsi apparuerunt hominibus: atqui scriptura Angelos representat sub signis sensibilibus, ipsique sub iisdem signis hominibus apparuerunt: Ergo licitum est Angelos sub signis

fenfibilibus depingere. Minor patet : Angeli apparuerunt Abrahamo & Loth sub specie hominum peregrinantium.

Confectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Illicitus est horum Symbolorum usus, quibus Angeli, eorumque perfectiones depinguntur; si nullum fundamentum habeat, nec in scripturâ, nec in traditione, sed in solâ vel pictorum vel hominum imaginatione: undè videmus, quod Moyses in scripturâ nullam Angelorum picturam faciat, nisi ubi cœperunt nobis sub specie humanâ apparere, indicans eas picturas non hominum arbitrio esse relinquendas, sed ex divinâ determinatione pendere.

CONSECTARIUM II. Licitus est eorum Symbolorum aut Imaginum usus, quibus Angelos exprimimus, quæ fundamentum habent, vel in scripturâ vel in traditione. Sic depingi possunt Angeli sub specie humanâ, eisque alæ affingi, ut intelligant fideles, inquit Cathecismus Trident. quàm propensi sunt in humanum genus, & quam parati ad ministeria Domini exequenda; omnes enim administratorii sunt spiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.

Sic depingi pariter possunt igniti, ut indicetur, quantum divino amore ardeant.

PROPOSITIO III. Solent animæ beatæ depingi; vel sub specie columbæ, ut earum innocentia ostendatur; vel sub specie formosissimæ virginis, ut interior earum pulchritudo illis exterioribus coloribus delineetur.

tur. Animæ verò damnatæ, & dæmones depinguntur ignibus circumfusi, & vultu horridi, ut pateat horror conscientiæ, quo interiorius agitantur, & ardor ignium, quibus divinitus torquentur.

§. II.

De usu Imaginum.

PROPOSITIO unica. Licitus est usus earum Imaginum, quæ Christum, crucem Christi, Mariam, & Sanctos representant.

Probatur 1°. Script. *Moyſes juffu Dei duos Cherubim aureos fecit, & unum ex utraque parte arcæ poſuit*, Exod. 25. erexit ſerpentem æneum num. 12. Salomon Cherubim, leones, palmas, malogranata, in Templo juffu Domini ſculpiſit, & auro texuit. 3. Reg. ergo licitus eſt imaginum & ſtatuarum uſus.

Nec obſtat, quod ſcriptura dicat Lev. 26. v. 1. *Non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigētis, nec inſignem lapidem ponētis in terra veſtra; cauſam enim addit, ut adoretis eum. Uti faciunt idololatræ, dicentes ligno: pater meus es tu; & lapidi: tu me genuiſti. Jerem. 2. v. 27. & rurfus, homo plantavit pinum, quam pluvia nutrit. . . Medium ejus combuſſit igni. . . Reliquum autem ejus Deum fecit & ſculptile ſibi: curatur ante illud, & adorat illud, & obſecrat, dicens: libera me, qui Deus meus es tu. Iſai. 44. v. 14. Veratur ergo idolum & ſculptile, quod ut verum Deum adoras; non quo uteris, ut verum Deum, quem ſolum adoras, in mentem revoceſ.*

2°. Ex factis historicis usum imaginum approbantibus Eusebius asserit ses. 15. qui justus esse perhibetur in scriptura, imagines Deo fecisse. Idem refert lib. 2. histor. Eccles. Christum imaginem sui Abagaro Edeffendorum Regi misisse. Quamvis autem hæc Agabari historia à multis apochripha, & suspecta falsitatis habeatur; id tamen ostendit tempore Eusebii usum imaginum viguisse in Ecclesia, quod ad præsens institutum sufficit. Idem Eusebius testatur lib. 7. hist. Eccles. cap. 18. Servari in Ecclesia imagines Petri, Pauli, & Christi, colorum varietate expressas. Tertulianus lib. du pudicitia cap. 7. depictam dicit in calicibus vitreis imaginem pastoris, ovem errantem super humeros deferentis. Hieron. in cap. 4. Jon. v. 16. in ipsis cucurbitis Apostolorum imagines adumbratas docet Greg. ad Serenum Epif. 9. lib. 9. ait: *Quod imagines adorari vetuisset, omnino laudavimus, fregisse verò reprehendimus.* Demum Ecclesia Iconoclastas, id est fractores imaginum, ut hereticos damnavit.

3°. Ex Concilis. Synodus 7. Act. 4. sanctas & venerabiles Iconas recepimus, recipimus, & salutamus, atque amplectimur secundum antiquam traditionem sanctæ catholicæ Dei Ecclesiæ. Et Trident. ses. 25. *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas jubet.*

4°. Ratione. Ea est imaginum utilitas, quod instruant simplices, admoneant scientes, afficiant omnes; ut quilibet experitur: ergo retinendus est imaginum usus. . . .

seth

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Illicitus est earum imaginum usus, quibus aut falsa dogmata, aut periculosi errores statuuntur. De hoc ita Trident. *ses. 25. In has autem sanctas & salutare observationes si qui abusus irrepserint; eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit: ita ut nullae falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuuntur.*

Sic illicitus est usus earum imaginum, quæ lasciviam inspirant, potius quam pietatem. *Omnis, inquit Trid. ses. 25. lasciva vitetur, procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur.*

CONSECTARIUM II. Licitus & retinendus est earum imaginum usus, quibus populus vel in fide roborari, vel ad virtutis exercitium, inflammari potest. *Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus. Greg. lib. 9. Epis. 9.*

Sic possumus uti imaginibus, sive sculptis, sive depictis, quibus Christum, Mariam, & Sanctos representemus, *depingimus, inquit Adrianus Act. 27. Synod. sacram imaginem Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi secundum incarnatam ejus humanam formam, & in aula Dei constituimus, simulque sanctæ Dei genitricis, atque beatorum Apostolorum, & Prophetarum, Martyrum, Confessorum vultum; ut per visibilem vultum ad invisibilem divinitatis majestatem mens nostra rapiatur spirituali affectu.*

Sic possumus Crucis signum, vel manibus efformare, vel imaginibus depingere, vel sculptilibus elaborare; uti perenniter observatum est in Ecclesia. *Non pudeat nos, inquit Cyrillus Jerosoly. Catech. 13. Crucifixum confiteri; sed in fronte confidenter digitis crucis signaculum imprimatur, & in aliis omnibus crux fiat, in panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in ingressu & egressu, ante somnum recumbendo, & surgendo, eundo, & quiescendo. . . . Signo isto utere, tum edens & bibens, tum sedens ac cubans, de lecto surgens, loquens, ambulans, & ut simul dicam, in omni re.* Et Tertulianus lib. de corona militis cap. 4. *Quæcumque nos conversatio exerceat, frontem crucis signaculo terimus.* Et Hierony. ad Eustoch. cap. 16. *Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem.*

§. III.

De cultu Symbolorum & Imaginum.

PROPOSITIO I. Symbola Deum, resque divinas representantia, Imagines Christum, ejusvè crucem, Mariam, aut Sanctos, representantes, merentur honorem, non civilem solum, sed religiosum.

Probatur 1°. Script. Cherubim in arca collocati, serpens Æneus erectus apud Judæos, non civiliter solum, sed religiosè colebantur: ergo ea symbola, &que imagines, quibus res Dei, & Sanctorum nobis exhibentur, debent cultu religioso honorari.

2°. Ex Concil. 7. Synod. act. 4. ait: *Sanc.*

tas & venerabiles Iconas recipimus & salutamus. Et Trident. sess. 25. decernit imaginibus, *honorem & venerationem debitam esse impertiendam*: Ergò cultus erga symbola & imagines debet esse, non civilis solùm, sed Religiosus.

3°. Ratione. Symbola, imagines, de quibus hic agimus, Deum aut Sanctos representant: ergò, si Deus & Sancti honorem mereantur, non civilem solùm, sed religiosum; religiosus est, & non civilis solùm, honor, qui eorum Symbolis & Imaginibus defertur.

PROPOSITIO II. Cultus, qui Symbolis & imaginibus Deum vel Sanctos repræsentantibus defertur, non est absolutus, sed respectivus.

Probatur 1°. Ex Basilio lib. de Spiritu Sancto cap. 18. *Imaginis honor ad exemplar primum transit.*

2°. Ex Damasceno lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 17. Deus invisibilis hominem visibilem ad sui imaginem condidit, ut honor, qui homini defertur, ad Deum ultimò referatur. Sic altare constructum ab Abraham Deum præsentem illi Patriarchæ reddebat: & honor non altari, sed Deo rependebatur. Sic Circumcisio signum erat fœderis inter Deum & hominem; & honor non signo, sed significato cedebat.

3°. Ex Autore quæstionum apud Athanasium quæst. 39. Non ut Deos adoramus Imagines, ut Ethnici faciunt; sed solummodo affectionem & amorem animi nostri erga exemplar Imaginum significamus.

4°. Ex Tridentino ita veneramur Imagines; non quod credatur in eis esse aliqua divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illi similitudinem gerunt, veneremur.

5°. Ratione. Res respectiva nihil habet, nisi propter terminum, ad quem ordinatur: ergo cum Symbolum & imago sint aliquid respectivum ad prototypa, nihil habent, nisi in ordine ad prototypum: ergò honor, qui eis defertur, transit ad prototypa; unde hi versiculi:

*Hoc Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipse;
Hoc recolas, sed mente colas, quod cernis in illa.*

Consectaria hujus doctrine.

CONSECTARIUM I. Talis debet esse cultus respectivus erga Imagines & Symbola; qualis est cultus absolutus prototypi, quod per imagines repræsentatur.

Sic imago Christi veneranda est cultu latriæ respectivo; quia Christus, quem exhibet, adorandus est cultu latriæ absoluto. Id evincitur, tum factò, quod refert Eusebius, tum determinatione Synodi: Eusebius enim Cæsariensis lib. 7. hist. Eccl. cap. 18.

refert, quod mulier Hemoroïssa Christo stantem ad cuius basim crecebat planta ignota quæ præstantissimum erat remedium quibuscumque morbis depellendis.

Sic verò loquitur 8. Synodus can. 2. *Sacram Domini nostri effigiem eadem quâ sancta Evangelia, veneratione colendam statuimus: ut enim per syllabas in Evangelio scriptas salutem consequuntur omnes; ita per imagines arte, coloribusque pictas, & expressas, docti juxta & indocti ex objectâ re utilitatem percipiunt. . . . Ergo quicumque Christi salvatoris imaginem non adorat, is in secundo Christi adventu non videat ipsius faciem.*

Sic Crux repræsentans Christum crucifixum adoratur cultu patriæ respectivo; quia Christus crucifixus, quem exhibet, adorandus est cultu patriæ absoluto. Indè canit Ecclesia: *Ecce lignum crucis; venite adoremus.* Et rursus: *O crux ave spes unica.* Indè est etiam, quod Aug. eleganter docet quod crux non sit jam opprobrio, sed gloriæ. *Cum enim, inquit, in psal. 36. serm. 2. sub antiquis scelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur. Honorata est, & finita est. Finita est in pœnas, manet in gloria: à locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum.* Et Tertulianus crucis cultum sic lib. 3. adversus Marcionem confirmat. *Vim crucis, inquit, Judæos præfiguravit arca lignea Noë, homines à diluvio liberans, tabernaculum ligneum Judæos protegens, Moyses manibus in crucem extensis contra Amolefitas orans, serpens æneus in crucem elatus vulnerator à venenosis moribus sa-*

nans. Demum vim crucis ostendunt omnia novæ legis sacramenta, in quibus juxtà Aug. Doctrinam nihil efficitur, nisi adhibito crucis signo. *Quod signum Crucis nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive oleo, quo unguuntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Tract. 118. in Joan.

Sic Sanctæ Virginis, Angelorum, & sanctorum imagines cultu inferiori patriæ veneramur; quia Maria, Angeli, & sancti non adorandi sunt, sed venerandi: de hoc ità Synod. 8. can. 2. *Eâdem ratione, inquit Concilium, intemeratæ genitricis illius effigiem, sanctorum Angelorum, ac sanctorum omnium. veneramur & colimus. Qui aliter sentiunt, Anathema sunt.*

CONSECTARIUM II. Illicitus est omnis contemptus imaginum, tum Christi, tum Crucis, tum Mariæ, tum Angelorum, tum Sanctorum. Greg. enim Epif. 9. lib. 9. ad Severum his verbis scribit: *Perlatus ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus, sanctorum imagines, si hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris... Imagines frengisse reprehendimus. Dic, frater, à quo factum Sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti.*

§. IV.

In quo ex principiis supra statutis colligitur; qualis debeat esse cultus noster Religiosus erga Deum, erga Christum, & erga Sanctos.

Ex dictis patet objectum quodlibet Religionis nostræ non esse æqualis dignitatis,

242 MORAZIIS CHRISTIANA.
nec æquali cultu, parique necessitate esse
venerandum.

1°. Deus unus in essentia, & trinus in
personis, debet necessariò ab omnibus cul-
tu latriæ adorari, tamquam prima omnium
causa, & ultimus omnium finis.

2°. Christus Deus & homo debet necessa-
riò quoque adorari cultu latriæ, tamquam
mediator & salvator, sine quo nemo salvari
potest.

3°. Virgo Maria, Angeli, Archangeli, ani-
mæ beatæ possunt cultu à latria longè di-
verso, & inferiori honorari, tamquam amici
Dei. Cultus Dei, & Christi est necessarius,
& indispensabilis: cultus Sanctorum bonus,
utilis, & non spernendus. Totum hoc do-
cet Trident. sess. 25. cap. 2. præcipit quippe,
ut prædicetur, *Sanctos una cum Christo reg-
nantes orationes suas pro hominibus Deo offerre,
bonum atque utile esse suppliciter eos invocare;
& ob beneficia impetranda à Deo per Filium
ejus Jesum Christum, Dominum nostrum, qui
solus noster Redemptor, & Salvator est, ad eo-
rum orationes, opem, auxiliumque confugere:
illos verò qui negant, Sanctos, æterna felicitate
in cælo fruente, invocandos esse; aut qui
asserunt vel illos pro hominibus non orare, vel
eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invo-
cationem esse idololatriam; vel pugnare cum
verbo Dei, adversarique honori unius mediato-
ris Dei, & hominum Jesu Christi; vel stultum
esse, in cælo regnantibus voce, vel mente sup-
plicare impiè sentire. Quibus verbis quatuor
inculcantur. 1°. Ut Deus adoretur. 2°. Ut
Christus tamquam solus mediator, & re-*

demptor inspiciatur. 3°. Cultus Sanctorum consulitur. 4°. Contemptus sanctarum Reliquiarum & Imaginum vetatur.

Illud idem disertè describit Damascen. orat. 3. de imaginibus. Primum-genus adorationis est, quod per latrariam exhibetur, quæ per naturam adorando uni Deo tribuitur . . . quàm multæ autem & quot modis adorentur res procreatæ, in sacra scriptura deprehendimus. Primum enim adorantur, in quibus requievit Deus, qui solus est sanctus, & in sanctis conquiescit, ut in sancta Dei genitrice, & in omnibus sanctis, &c. Adorantur, non quod naturâ sint adorandi, sed quoniam illum, qui natura adorandus est, in se ipsis habent; sicut ferrum ignitum non naturâ ejusmodi est, ut tangi nequeat, & comburat, sed quia particeps ignis factum est, qui comburendi naturam habet, &c. Alter adorationis modus est, quò res, per quas, & in quibus salutem nostram Deus, vel ante Domini adventum, vel post assumptionis carnis consilium executus est, veneramur, & colimus. Ut montem Sinai, Nazareth, præsepe in Bethleem, crucis lignum, & clavos, vestes, sanctum illud monumentum fontem nostræ Resurrectionis, &c. Hæc & his similia veneror, & adoro, & omne Templum Dei sanctum, & omnia loca, in quibus Deus nominatur, non propter naturam ipsorum, sed quoniam actionis Divinæ sunt receptacula: & per se ipsa, & in ipsis placuit Deo, salutem nostram transigere. Nam & Angelos, & homines, & omnem materiam actionis Divinæ participem, atque adminis-

tram salutis nostræ, propter actionem divinam veneror, & adoro. Tertius adorationis modus est, quo adoramus ea, quæ Deo dicata sunt; ut sacra Evangelia Dei, pocula, thuribula, lucernas, &c. . . . Hæc enim esse sacra perspicuum est. Vide enim, quomodo Deus, cum Balthazar populo vasis sacris ministrare fecisset, regnum ejus everterit. . . . Quartus modus est, quo Imagines adorantur à Prophetis perspectæ: imaginum enim intuitu Deum cernebant, & rerum Imagines, ut virga Aaron, quæ quidem Imago Virginis mysterium exprimebat. . . . Et Jacob adoravit fastigium virgæ, quò servator significabatur. . . . Hoc modo pretiosam crucis formam, corporeæquè Dei mei figuræ similitudinem, & Deiparæ, & servorum ejus Imagines adoramus. Quintus modus, quo nos vicissim, ut Dei Patrem habentes, & ad Dei factos imaginem adoramus, atque inter nos summisè gerimus, legi charitatis obtemperantes. Sextus modus est, quem principibus & in potestate constitutis exhibemus. . . . Ita enim Jacob, tum Esau fratrem majorem natu, tum Pharaonem à Deo constitutum principem adoravit. . . . Septimus modus est, quo servi Dominos, & bene meritos, quorum egent auxilio, prosequuntur; Sic Abraham adoravit filios Heth, cum ab illis speculuncam duplicem emeret. Hastenus Damasc. qui vult omnes prædictos adorationis modos, non politicos esse, sed Religiosos; quia cultus ille omnis, & à Deo emanat, & ad Deum tamquam totius perfectionis fontem revertitur. . . . Idè addit ibidem. Deniquè,

ut simpliciter dicam, adoratio est timoris, & desiderii, & honoris signum & animi submissimi atque humilis argumentum. Verum neminem oportet, ut Deum, adorare, nisi eum, qui natura Deus est: Omnibus autem honorem debitum habere propter Dominum . . . Sic igitur imagines adoremus, ut non ipsi materiæ, sed iis, quos imagines referunt, adorationem tribuamus.

CAPUT III.

De actibus Religionis.

In hoc capite explicabimus quinam sint actus Religionis, & quomodo uiliter ad salutem exercendi sint.

ARTICULUS I.

In quo statuitur actus Religionis esse ad salutem obtinendam necessarios.

PROPOSITIO unica. Non sufficit adulto ad salutem consequendam, ut habeat religionem habitualement; sed insuper debet frequenter actus Religionis elicere.

Probat 1°. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias*: Matth. 4. 10. vox illa, *adorabis*, vox illa, *seruias*, non sterilem habitum, sed operationem crebrius repetitam innuit.

2°. Ex D. Thom. Religio venit iuxta aliquos à relegere; eo quod per eam frequenter legamus quæ Deo debeamus. Juxta alios

ab eligere ; eo quod per eam frequenter eligamus , quæ Deo offerre debemus. Juxtà alios à religare , eo quod per Religionem Deo tanquam indeficienti operationum nostrarum regulæ jungamur. Ità D. Thom. 2. 2. q. 81. Atqui hæc omnia non tantum otiosum habitum , sed frequentes operationes innuunt ; ergò Christianus adultus debet frequenter actus Religionis elicere.

3°. Religio importat fidem , spem , & charitatem ; patet autem ex dictis suprà , quod adultis ad salutem non sufficiat habere habitum fidei , spei , & charitatis ; sed quod frequenter debeant elicere actus earundem virtutum , quia scilicet. *Præcepta dantur de actibus , & non de habitibus solùm* , ut docet D. Thom. Ergò ad salutem non sufficit adulto , ut habitum Religionis habeat , sed frequentes actus Religionis debet elicere.... Hic de adultis solum loquimur ; quia credimus non adultos salvari per solos habitus supernaturales , eis per baptismum unà cum gratia infusos.

Conseclaria hujus Doctrinæ:

CONSECTARIUM I. Christianus adultus debet elicere actus , & interiores & exteriores Religionis , interiores , quibus animam ; exteriores verò , quibus corpus Deo subjiciat ; quia Religio debet totum hominem Deo subjicere , & proinde inclinare ad actus , quibus corpus , & anima Deo subsint. Illud innuit Psal. dicens : *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Psal. 83. v. 3. actus interiores ad cor , exteriores verò ad carnem pertinent.

CONSECTARIUM II. Homo adultus debet exercere Religionem, non privatam solum, sed etiam publicam; non soli Deo cognitam, sed etiã aliis hominibus manifestam, juxtã illud: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Matth. 5. 16. Ergò homo adultus debet actus interiores Religionis elicere, quibus soli Deo placeat; & actus exteriores interioribus adjungere, quibus in unum Religionis commercium cum aliis hominibus societur: quia, ut optimè docet Aug. lib. 19. contra Faust. cap. II. *In nullum nomen Religionis, siu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilibus consortio colligentur: quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm; & ideò contempta sacrilegos facit. Impiè quippè contemnitur, sine qua non potest perfici pietas; & itã actus interni Religionis, devotio scilicet, & oratio; actus externi Religionis, scilicet adoratio, oblatio, sacrificium, &c. sunt de præcepto. De quibus sigillatim agemus.*

ARTICULUS II.

De devotione.

PROPOSITIO unica. Devotio non solum est de consilio, sed etiam de præcepto; quia devotio est actus Religionis, quæ voluntas promptè exequitur ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. Quam animi promp-

itudinem ambire debent præcipuè Christiani ad exemplum filiorum Israël; de quibus sic habetur, Exod. 35. 21. *Obtulerunt mente promptissima atquè devota primitias Domino.*

Non solùm devotio est de præcepto, sed etiam conditiones requisitæ ad veram devotionem; quia quandò aliqua virtus est de præcepto, omnia quæ cum illa virtute connectuntur sunt pariter de præcepto. Undè quæ possunt devotionem in nobis, aut augere, aut fovere, si pendeant à nobis, sunt de præcepto.

Causa autem devotionis est duplex extrinseca & intrinseca.

Causa extrinseca devotionis est Deus, quia ut ait Jec. 1. v. 17. *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Ideò, dicit Ambr. super Lucam cap. 9. *Deus quos dignatur, vocat; & quem vult, Religiosum facit; nam si voluisset, Samaritanos ex indevotis, devotos fecisset.* Ergò petenda est à Deo devotio.

Causa intrinseca dispositiva devotionis est meditatio mysteriorum Dei, juxtà illud Psal. 38. v. 11. *In meditatione mea exardescet ignis, scilicet devotionis.* *Voluntas enim, ut ait Aug. lib. 14 de Trin. cap 8. oritur ex intelligentia, & ideò, inquit D. Thom. 2. 2. q. 82. a. 3. necesse est, quod meditatio sit devotionis causa, in quantum scilicet homo per meditationem concipit, quod se tradat divino obsequio.* Ad quod quidem inducit duplex consideratio. 1. Divinæ bonitatis, excitans ad amorem Dei, juxtà illud Psal. 72. *Mibi adharere Deo bonum est, & ponere in Domino*

Deo spem meam. 2. Infirmittatis humanæ, excitans ad sui diffidentiam, & ad fiduciam in Deo, juxtà illud Psal. 120. *Levavi oculos meos in montes undè veniet auxilium mihi: auxilium meum à Domino, qui fecit Cælum & Terram.*

ARTICULUS. III.

De oratione.

PROPOSITIO unica. Oratio, non solum est de consilio, sed etiam de præcepto; quia est actus Religionis, quo petimus à Deo, quæ decet nos habere.

Præceptum orandi sic inculcat, 1°. Script. *Oportet semper orare, & non deficere.* Luc. 18. v. 1. *Vigilate itaque, omni tempore orantes.* Luc. 21. v. 36. *Sine intermissione orate.* 1. Theff. cap. 5. v. 17. quomodo autem continua debet esse oratio infra dicetur.

2°. Idem præceptum innuit Ecclesia, dum in missæ sacrificio fideles omnes præmonet orationis exercitium præceptum esse, & non consilium: *Præceptis, inquit, salutaribus moniti, & divina institutione formati, audemus dicere, Pater noster.*

3°. Christus & Apostoli hanc orandi necessitatem suis exemplis tradiderunt, de Christo enim dicitur: *Et erat pernoctans in oratione Dei.* Luc 6. v. 12. des Apostolis verò & fidelibus: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione & obsecratione.* Act. 1. v. 14.

4. Orationem præcepti esse, & non consilii, ratio convincit; cum enim multis egeat

mus bonis, & commodis ad animum, & corpus tuendum necessariis, eaque à nobis ipsis habere nequeamus, à Deo precibus obtineamus necessarium est. Beneficio quippe orationis, & æterna, & temporalia, à Deo consequimur.

1°. Oratione, prædestinatio Divina non immutatur quidem, quia infallibilis; sed impletur. Undè Greg. *Obtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerint; sed eà, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut sanctorum, precibus obtineantur.* 1. Dial. cap. 8.

2°. Gratia, utpotè gratuita, oratione non prævenitur quidem, sed impetratur, & impetrata commendatur, undè Aug. *Agenda sunt gratiæ, quia data est potestas, & orandum, ne succumbat infirmitas.* Tract. 53. in Joan.

3°. Fides oratione firmatur: *Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem,* inquit Aug. serm. 115. alias serm. 36. de verb. Dom. 4°. Oratione spes erigitur, juxtà illud: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite,*

quoniam accipietis; Marc. 11. 5°. Oratione charitas inflammatur. Undè Aug. ait *Verbis orationis nos ipsos admonentes in id quod desideramus intendere, ne quod tepescere cœperat, omninò frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebrius inflammetur.* Epist. 130. ad probam...

6°. Oratione perseverantia obtinetur. *Ipsius sancti Petri,* inquit Prosper, *ardentissima fides in tentationibus defecisset, nisi pro eo Dominus supplicasset.* Epist. ad Rufin. Necessarium est ergò, quod oratio sit creaturæ intellectualis indispensabile exercitium, & hoc incensum

indefinenter offerat : *Dirigatur oratio mea , sicut incensum in conspectu tuo.* Psal. 140 v. 2. In cœlo comprehensores orationi vacant , Deum , quem possident , perpetuò laudantes : *Sanctus , Sanctus , Sanctus Dominus Deus exercituum.* Isa. 6. 3. Viatores in terris ab oratione non desistunt , Deum , quem non possident , sitientes : *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum , ita desiderat anima mea ad te Deus.* Psal. 41. v. 2. Justi in oratione se totos Deo exhibent , exemplo Davidis : *Effundo in conspectu ejus orationem meam , & tribulationem meam , antè ipsum pronuntio.* Psalm. 141. v. 3. Peccatores exemplo Publicani peccatorum suorum veniam exposcunt : *Propitius esto mihi peccatori.* Omnibus demùm , sive hilaribus , sive tristicibus , oratio præcipitur : *Tristatur aliquis vestrum , oret ; æquo animo est ; psallat.* Jac. 5. v. 13.

Conseſtaria.

Non modò oratio est in præcepto , sed & conditiones , quæ ad veram orationem requiruntur. Quia , quando aliquid præcipitur , ea pariter præcipiuntur , quæ sunt cum illo connexa. Oratio autem necessariò exigit certas quasdam conditiones. 1°. Ex parte orantis. 2°. Ex parte illius qui oratur. 3°. Ex parte illorum , pro quibus oramus. 4°. Ex parte loci & temporis , quo debet vel fieri vel durare oratio. 5°. Demum ex parte bonorum , quæ petuntur , quæ conditiones , si abfuerint , oratio non modò vana , & cassa efficitur ; sed etiàm ut Deo exosa rejicitur , & in peccatum imputatur.

§. I.

Quae requirantur conditiones ex parte illius, qui orat.

1°. Orans debet se ad orationem preparare, peccatum, aut saltem affectum peccati è corde suo excludere: *Antè orationem prepara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Eccli. 18. v. 23. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Psal. 65. v. 18. & è contrà, *Si iniquitatem, quae est in manu tua abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo injustitia: tunc levare poteris faciem tuam absquè macula, & eris stabilis, & non timebis.* Job. II. v. 14. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Prov. 28. qualis fuit oratio Antiochi, de quo dicitur: *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* 2. Machab. 9. v. 13.

2°. Orans debet internam mentis attentionem adhibere. *Spiritus est Deus: & eos qui adorent eum in spiritu & veritate oportet adorare.* Joan. 4. v. 24. *Orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente.* 1. ad Corin. 14. v. 15. Orantes verò sine attentione ità rejicit Deus: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me.* Math. 15. 8. Hanc fixam attentionem orando sibi adesse gaudebat David, abesse verò vehementer dolebat: *Quoniam inveni Domine cor meum, ut orarem ad te.* 2. Reg. 7. *En gaudium: quoniam cor meum dereliquit me,* Psal.

39. v. 13. En tristitia. Qualis autem debeat esse illa attentio, docet D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 13.

3°. Orans debet internam mentis humilitatem & externam corporis modestiam adhibere. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Eccli. 35. v. 21. *ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos.* Isai. 66. v. 2. Talis erat oratio Davidis coram Deo suo instar mendici sistentis se. *Ego autem mendicus sum & pauper.* Psal. 39. v. 18. & rursus; *Ego vero egenus & pauper sum; Deus adjuva me.* Psal. 69. v. 6. Talis erat pariter oratio Abrahamæ se & mente & corpore coram Deo proferrentis: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis,* Gen. 18. v. 27.

§. II

Quinam sunt illi, ad quos possumus orationes nostras dirigere.

1°. Deum solum debemus orare, tamquam bonorum omnium, quæ petere debemus, verum, & unicum præcipuum autorem. *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum.* Jac. 1. v. 17. Oratio enim directè tendit, ut vel gratiam, vel gloriam postulemus; Deus autem solus utrumque dare potest. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Psal. 83. v. 12.

2°. Omnia in nomine Christi postulanda sunt: *Quodcumquè petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in*

254 MORALIS CHRISTIANA.
filio. Joan. 14. v. 18. *Non est aliud nomen sub
cælo datum, in quo oporteat nos salvos fieri.*

3°. Sanctos possumus tanquàm amicos Dei
invocare, & ascendit fumus incensorum de ora-
tionibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.
Apol. 8. v. 4. -

§. III.

*Quinam sunt illi, pro quibus possumus & de-
bemus orare.*

1°. Orandum universalitèr pro omnibus:
*Obsecro igitur primum omnium fieri obsecratio-
nes, orationes, postulationes, gratiarum actio-
nes, pro omnibus hominibus.* 1. Tim. 2. v. 1.

2°. Orandum pro inimicis. *Orate pro per-
sequentibus, & calumniantibus vos.* Math. 5.
v. 44.

3°. Pro Magistratibus civilibus, pro Regi-
bus, & omnibus, qui in sublimitate consti-
tuti sunt. *Orate pro Regibus, & omnibus, qui
in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquil-
lam vitam agamus, in omni pietate & castitate.*
1. Tim. 2. v. 2.

4°. Pro Superioribus Ecclesiasticis. *De cæ-
tero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei
currat, & clarificetur, sicut & apud vos.* 2.
Thessal. 3. v. 1.

5°. Demum debemus omnes pro nobis in-
vicem orare. *Orate pro invicem, ut salvemi-
ni; multum enim valet deprecatio justis assidua.*
Jacob. 5. v. 16.

§. IV.

Quo in loco possimus & debeamus orare.

1°. Oratio privata potest fieri in omni loco. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira & disceptatione.* 1. Timoth. 2. v. 8.

2°. Oratio publica debet fieri in loco ad hoc munus consecrato. Sic in lege naturæ Abraham in loco sibi à Domino designato sacrum fecit. . . *Abiit in locum, quem præceperat ei Deus.* Gen. 24. v. 3. Jacob. sacrum fecit in Bethel. *Terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei & porta Cæli, appellavitque nomen urbis, Bethel, idest, domus Dei.* Gen. 28. Sic in lege scripta non licebat sacrum facere, nisi in loco speciali: *Non poteris immolare Phasæ in qualibet urbium tuarum, sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.* Deut. cap. 16. v. 5. Sic Demùm in lege Evangelica sacrificium, & oratio fiunt, in templo, ut patet ex praxi totius Ecclesiæ. Quod Christus confirmavit illa textu Isai. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Lucæ 19. v. 46.

§. V.

Quo tempore fieri debeat oratio, & quanto tempore durare.

1°. Oratio privata potest fieri omni tempore: *Per omnem orationem, & obsecrationem*

orantes, omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis. Ad Eph. 6. v. 18.

2°. Oratio privata debet semper durare, si attendatur principium, à quo emanat; non autem, si attendatur ejus exercitium. Ità D. Tho. 2. 1. q. 83. a. 14. *De oratione dupliciter loqui possumus: uno modo secundum se ipsam: alio modo secundum causam suam. Causa autem orationis est desiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio: quod quidem in nobis debet esse continuum, vel actu vel virtute. Manet enim virtus hujus desiderii in omnibus, quæ ex charitate facimus: omnia autem debemus in gloriam Dei facere, ut dicitur 1. ad Corinth. 10. & secundum hoc, oratio debet esse continua. Undè Aug. dicit ad Probam. Epist. 121. cap. 9. In ipsa fide, & charitate, continuato desiderio semper oramus: sed ipsa oratio secundum se considerata non potest esse assidua; quia oportet aliis operibus occupari.*

3°. Oratio publica debet durare tempore ab Ecclesia determinato; quia ad Ecclesiam pertinet determinare, quantum debeat durare oratio communis per comparisonem ad populi devotionem, & ad Christi verba: *oportet semper orare & non deficere, Luc. 18. v. 1.*

Oratio autem potest esse continua multipliciter. . . 1°. Ratione pii desiderii in Deum, juxta illud Aug. in Psal. 37. v. 14. *Ipsium desiderium tuum oratio tua est, & si continuum desiderium tuum, continua est oratio.*

2°. Ratione certi temporis precibus destinati, juxta illud Aug. *Per certa intervalla*

horarum, & temporum, etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admonemus; quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus; & ad hoc augendum nos ipsos acrius excitemus. Epist. 130. ad Probam. cap. 9.

3°. Ratione. Effectus per orationem in nobis producti; orans enim, inquit Sanctus Thom. remanet post orationem magis devotus. 2. 2. q. 83. a. 14. ad 4.

4°. Ratione. Communionis, quam habemus cum Christo, cum Ecclesia, & cum fidelibus. Quoties enim Christus, Ecclesia, fideles, orant, toties & nos orare censemur. Cum autem oratio Christi, Ecclesiæ, & Sanctorum sit continua; nostra pariter oratio perpetua censenda est.

§. VI.

De determinatione Ecclesiæ quoad tempus & durationem orationis.

Quæ sit Ecclesiæ determinatio quoad tempus & durationem orationis relativè ad clericos dicemus; cum agemus de obligatione recitandi horas canonicas: sed quæ sit Ecclesiæ determinatio relativè ad laicos, vix explicari potest. Dicam hic historicè, quæ variis temporibus fuerit orandi assiduitas in privatis fidelibus; ut hinc quilibet conjiciat, quo, quantovè, tempore orationi vacare debeat.

Primis Ecclesiæ temporibus fideles omnes solebant horis precibus destinatis interesse;

cas horas vocamus modò Horas canonicas.

Constitutiones Apostolicæ ita præcipiunt fidelibus: *Preces facite, manè, tertiâ horâ, ac sextâ, & nonâ, & vesperè, atquè ad galli cantum.* Lib. 8. cap. 34.

Tertullianus loquens de Christianis ait: *Ità saturantur, ut meminere etiam per noctem adorandum sibi esse Deum.* In Apolog. cap. 39. Basilius ait: fideles ad psalmodiam de nocte instituuntur, & nunc quidem in duas partes divisi, alternis succincentes, psallunt Epist. 57. & Aug. serm. 55. de temp. juxta Lovanienses: *Ad vigiliis maturiùs surgite, ad tertiam, ad sextam, ad nonam, ante omnia convenite; nullus se à sancto opere subtrahat, nisi quem infirmitas, aut publica utilitas, aut fortè certa & grandis necessitas tenuerit occupatum.*

Autor Epistolæ ad Demetriadem de virginitate servanda ait: præter psalmodiarum, & orationis ordinem, quod tibi horâ tertiâ, sextâ, nonâ, ad vesperam, mediâ nocte & manè semper est exercendum; statue, quot horis sanctam scripturam ediscere debeas.

Et quamvis hæc orandi instantia non esset ità rigide sub præcepto, ut asseramus peccare singulos fideles, qui his horis canonicis deessent. . . Tamen verba Aug. innuunt fideles vulgò saltem diebus festis huic officio non deesse, nisi grandi necessitate detentos: sed quæ esset oratio cujuscumque fidelis quacumque die, habemus ex Cypriano de oratione Dominica in fine. *Manè orandum est, ut Resurrectio Domini matutinâ oratione celebretur. . . Recedente item sole, ac die cessante*

necessariò orandum. . . Ut supèr nos lux denuò veniat, idest, Christi precamur adventum lucis aeternæ gratiam præbiturum. Jàm ex praxi communi Ecclesiæ fideles omnes manè orant & vespere ; ut imitentur sacrificium vespertinum & matutinum Judæorum. Ad-dit & oratio meridiana, ut ad instar Danielis, tribus temporibus in die flectamus genua, & adoremus Dominum. Enitatur quilibet fidelis. quantum poterit, æmulari antiquam illam primorum Christianorum in orando sollicitudinem.

ARTICULUS IV.

De Adoratione, & Sacrificio.

PROPOSITIO Unica: Adoratio divinitatis, tum interna, tum externa, tum privata, tum publica, non est de consilio solum, sed de præcepto, eoque naturali; si attendatur quoad substantiam; sed quoad modum relinquitur Ecclesiæ determinationi. Itè sacrificium Deo oblatum, tum internum, tum externum, tum privatum, tum publicum, non est de consilio solum, sed etiàm de præcepto naturali, si attendatur quoad substantiam; sed quoad modum relinquitur Ecclesiæ determinationi, ità docet D. Tho. 2. 2. q. 85. a. 1.

1°. Adoratio, enim & sacrificium sunt Actus Religionis; Actus autè Religionis sunt de præcepto legis naturæ.

2°. Per adorationem, per sacrificium, Deum agnoscimus tamquam primum auto,

rem sanctitatis, tanquam primam causam, & ultimum finem omnium: atqui præceptum est, & non consilium, ut Deum tanquam autorem totius sanctitatis, ut primam causam, & ultimum finem omnium agnoscamus: ergò adoratio & sacrificium sunt non solum de consilio, sed de præcepto legis naturæ.

Quod autem ad Ecclesiam pertineat & adorationis & sacrificii determinare modum, patet; quia juxta diversum Ecclesiæ statum diversus fuit & adorandi & sacrificandi modus.

Abrâham jussu Dei unigenitum filium Isaac sacrificare voluit; sed prohibitus manum suam extendere super filium suum, loco filii obtulit arietem inter vepres hærentem, Gen. 22. v. 13.

Sic in lege Mosaica, Judæi, utpotè obstricti lege positivâ, sacrificia juxta præscriptum Moysis offerebant quàm plurima.

1°. Holocaustum; quod in honorem Dei tanquam auctoris vitæ, & mortis, intendebatur totum. Lev. cap. 1.

2°. Sacrificium expiatorium, seu pro peccato, cujus aliquæ partes in usum Sacerdotum cedebant, & ab eis comedebantur, nisi sacrificium pro peccato totius populi, aut pro peccato ipsius Sacerdotis offerretur; quia tunc hostia pro peccato, integra comburebatur. Lev. 6.

3°. Sacrificium pacificum; quod ad obtinendum aliquod bonum offerebatur.

4°. Sacrificium Eucharisticum; quod ad reddendas gratias pro Beneficio accepto immolabatur.

Sic in lege Evangelica Christiani, ut-potè austrikti lege à Christo data sacrificium semèl à Christo oblatum cruentè in cruce, in altari unà cum Sacerdote incruentè renovant, offerunt se se Christo & à Christo offeruntur patri hoc sacrificio Christianorum, quod in altari cordis nostri solo charitatis igne crematur loquitur Aug. lib. 10. de civ. Dei cap. 4. & 6. *Verum, inquit, sacrificium est omne opus, quod agitur ut sancta Societate inhaeramus Deo: relatum, scilicet, ad illum finem boni quo veraciter beati esse possimus. Unde & ipse misericordia, quâ homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium.* & cap. 4. *Cum ad illum inquit sursum est, ejus est altare cor nostrum: ejus unigenito cum Sacerdote placamus, & suavissimum adolemus incensum, cum in ejus conspectu pio sanctoque amore flagramus, ei sacrificantes Hostiam humilitatis & laudis in ara cordis igne fervide charitatis,* & cap. 6. *Presecto efficitur, ut tota ipsa redempta civitas, hoc est aggregatio, societasque Sanctorum universale sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem magnum, qui etiam ipsum obiulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus secundum formam servi... Hoc est sacrificium Christianorum... Quod etiam Sacramento altaris fidelibus nostra frequentat Ecclesia. Non modo sacrificium, & adoratio sunt de præcepto, sed etiã conditiones, quæ ad adorationem, & sacrificium requiruntur: quia quandò aliquid præcipitur, ea pariter præcipiuntur quæ sunt cùm illo connexa. Eadem autem sunt conditiones adorationis, & sacrificii, quas supra adscripsimus devotioni, & orationi.*

ARTICULUS V.

De Voto.

§ I.

Definitur Votum.

VOTUM est promissio deliberata facta Deo de meliore bono. Ità D. Tho. 2. 2. q. 8. a. 2.

1°. Est promissio deliberata; quia promissio, ut potè obligatoria, debet esse libera.

2°. Est promissio facta Deo; quia votum est actus patriæ, quæ soli Deo debetur. Ideò si quid voveamus sanctis, votum illud ad Deum ultimatè terminatur, qui vult per sanctos, quibus vovemus, honorari.

3°. Est promissio de meliori bono: quia oportet, ut meliùs, & perfectiùs sit, facere rem, quam vovemus quàm non facere: votum enim semper debet ad majorem Dei gloriam cedere.

§ II.

Dividitur Votum.

Votum, aliud est necessarium, aliud voluntarium.

Votum necessarium est illud, quod fit in baptisate; dum is, qui baptisatur, satanæ, & ejus operibus renuntiat, ac se fidelem fore, & divina præcepta servaturum pro-

mittit. Ita Can. Spiritus Sanctus.

Votum voluntarium est illud, quod quis sponte suâ facit, se adstringens ad id, ad quod antè votum non tenebatur, v. g. ad continendum, peregrinandum. Ita Can. *Non solum*. 32. q. 8.

Votum voluntarium, aliud est solemne, aliud non solemne, seù simplex.

Votum solemne est illud, quod solemnifatur, vèl per ordinis susceptionem, vèl per professionem in religione approbatâ. cap. *Quod de voto*, in 6.

Votum simplex est illud, quod tali solemnitate caret: tale est votum quodlibet, diversum à voto elicitò, vel in professione religionis, vel in susceptione ordinis.

Votum solemne consideratur, ut matrimonium actu cum Deo initum.

Votum simplex consideratur, ut sponsalia cum Deo inita.

Votum solemne reddit personam voventem, inhabilem ad omnes contractus repugnantés voto, v. g. Votum castitatis reddit inhabilem ad matrimonium; votum paupertatis reddit inhabilem ad contractum transferentem dominium rei temporalis, v. g. ad contractum emptionis, & venditionis; votum obedientiæ reddit inhabilem ad contractum transferentem usum propriæ personæ, v. g. ad contractum locationis sui ipsius.

Votum simplex non reddit personam voventem, absolutè inhabilem ad contrahendum validè, sed ad contrahendum licitè. Sic votum simplex castitatis non reddit matrimonium nullum, sed illicitum; votum

simplex paupertatis non reddit venditionem nullam, sed illicitam; votum simplex obedientiæ, non reddit locationem sui nullam, sed illicitam.

Votum aliud est absolutum, aliud conditionatum.

Votum absolutum est illud, cui nulla apponitur conditio. v. g. voveo me daturum eleemosynam.

Votum conditionatum est illud, cui aliqua apponitur conditio, v. g. voveo me ingressurum religionem, si pater convalescat.

Votum, aliud est personale, aliud reale, aliud mixtum, aliud pœnale.

Votum personale est illud, quo voveretur aliqua actio personæ, v. g. voveo peregrinationem. Votum personale non transit ad hæredes; quia est onus sequens personam,

Votum reale est illud, quo voveretur res pertinens ad voventem, v. g. voveo me daturum pauperibus, vel Ecclesiæ, hanc pecuniam . . . Votum reale, si notum fuerit, transit ad hæredes; quia onus est sequens hæreditatem. cap. *Licet de voto.*

Votum mixtum est illud, quo & res, & actio personæ voverentur, v. g. voveo me iturum in talem Ecclesiam, & talem pecunie summam daturum.

Votum pœnale est votum, quo aliquid promittitur sub pœna, v. g. vovet quis se non lusurum sub pœna recitandi Rosarium, vel dandi eleemosinam pauperi; si ludat, tenebitur sub peccato pœnam subire, scilicet recitare Rosarium, vel dare eleemosinam: & hoc, quotiès rem voto promissam omittet.

§ III.

*De conditionibus requisitis ad votum ex parte
subjecti, seu ex parte illius qui vovet.*

PROPOSITIO I. Omne votum Deo factum ita debet esse liberum ex parte voventis, ut quidquid tollit libertatem tollat & votum.

Probatur 1°. Script. *Non poteris comedere in oppidis tuis omnia, quæ voveris, & sponte offerre volueris*, Deut. 12. v. 17. Ubi Scriptura innuit votum debere esse spontaneum.

2°. Ex jure Canonico. Jus Canonicum statuit vota nulla esse, nisi fiant plenâ libertate, ita cap. *Cum simus de regularibus*. Et Trid. sess. 25.

3°. Ratione. Votum est promissio. Promissio autem debet esse essentialitè libera: ergo votum debet esse liberum.

Deinde votum est actio obligatoria; actio autem obligatoria debet esse libera; nemo enim obligat se, nisi voluntariè: ergo votum debet esse liberum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Votum coactè, & violentè exteriùs extortum est nullum; quia coactio & violentia tollunt libertatem; & ita qui coactus exteriùs, & voce tantùm diceret se vovere, & interiùs voto reniteretur, non teneretur voto; quia votum esset nullum coràm Deo: peccaret tamen gra-

viter ita vovendo ; quia mentiretur in materia Religionis.

CONSECTARIUM II. Votum elicicum ignorantè est nullum ; quia ignorantia tollit libertatem : & ita, si infans antè usum rationis, si ebrïus, si amens, sine usu rationis, exterius voverent, non tenerentur voto ; quia votum coràm Deo esset nullum. *Votum*, inquit, D. Tho. *non ligat propter defectum rationis, sicuti patet in furiosis & amentibus, qui se voto obligare non possunt ad aliquid, dum sunt in furia & amentia* 2. 2 q. 88. a 9.

3°. Votum elicicum ex errore tollente libertatem, non ligat ; quia, ut supponitur, non est liberum.

Error autem censetur tollere libertatem, si cadat circa substantiam rei, minimè verò, si cadat circa accidentia, ut fuse dicitur, ubi de contractibus ; quia error circa substantiam facit involuntarium *simpliciter* ; error verò circa accidentia, facit involuntarium *secundùm quid*.

Sic, si voveam Calicem, putans erroneè esse argenteum, qui tamèn est aureus, non teneor ex voto dare Calicem ; quia error est circa substantiam.

Si, verò voveam Calicem, putans erroneè valere tantùm decem nummos, qui tamèn valet duodecim, teneor ex voto dare Calicem ; quia error est circa accidentia.

Sic si voveam calicem ob restitutam sanitatem Patris, quem erroneè putabam ægrotare, qui tamen non ægrotabat, non teneor ex voto dare calicem ; quia error est circa substantiam finis.

Si verò voveam calicem à me deferendum in urbem Romam, ut ibi simul videam fratrem Romæ commorantem, teneor voto, licet comperiam, quod frater non commoretur Romæ, quia error est circa accidentia finis.

Sic deniquè, qui nescit, quid sit status Religionis, quantum ad vota substantialia castitatis, obedientiæ, & paupertatis, si voveat Religionem, non tenetur voto; quia error est circa substantiam: si sciat in communi, quid sit votum castitatis, paupertatis, & obedientiæ, licet ignoret particulares constitutiones status Religiosi, si voveat Religionem, tenetur voto; quia error est tantum circa accidentia.

CONSECTARIUM III. Ad hoc ut votum simplex soli Deo factum sit validum, sufficit ea ætas, & ea libertas, quæ sufficit ad peccatum plenè liberum; quia votum simplex est solum promissio facta soli Deo sine solemnitate. Ut autem promissio liget, sufficit plena libertas ex parte promittentis, modò sit Dominus eorum, quæ promittit. Ita docet D. Tho. 2. 2. q. 88. a 9. *Si verò puer ante annos pubertatis usum rationis attigit, potest quidem, quantum in ipso est, se obligare; sed votum ejus potest per parentes irritari, quorum curæ remanet adhuc subiectus.*

CONSECTARIUM IV. Nemo ligatur voto alieno, nisi votum illud ratum habeat; quia votum factum per alienam voluntatem non est sufficientè liberum.

PROPOSITIO II. Omne votum solemne Deo factum, & ab Ecclesia acceptandum, aedum debet esse plene liberum; sed insu-

per debet esse vestitum conditionibus ab Ecclesia determinatis, quæ si absint, votum est omninò nullum, nec acceptatur à Deo.

Probatur. Votum solemne addit suprà votum exteriorem solemnitate: sicut contractus civilis addit suprà promissionem simplicem externas aliquas circumstantias: ergò sicuti contractus civilis est nullus, in foro civili, si careat conditionibus à jure præscriptis, ità votum solemne est nullum, si careat conditionibus ab Ecclesia requisitis. Et quia Deus non acceptat vota solemnia, nisi per ministerium Ecclesiæ; tunc censetur ea non acceptare, cum carent solemnitatibus ab Ecclesia requisitis.

Consecraria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I, Votum solemne extortum ex gravi metu injustè incusso est invalidum; validum verò, si eliciatur ex levi metu, vel ex gravi justè incusso; quia ità determinatur cap. *Perlatum de his que vi, metu, &c. causa fiunt.*

Sic, si quis ex metu mortis incussio ad extorquendum votum, vel Religionem professus fuerit, vel Subdiaconatum susceperit; si violentiam probare valeat, votum ejus nullum declarabitur; quia metus ille & est gravis, & est injustè incussus, nisi tamen ab initio, vel post factò liberè consensisset voto.

Sic, si quis ingreditur Religionem, vel Subdiaconatum suscipiat, timens mortem æternam, vel crudelem conscientie remorsum, nisi statum illum amplectatur; quan-

tumvis gravis sit ille metus, votum est validum; quia metus ille, etsi gravis, non est injustè incussus ab aliqua causa libera. Ità Fagnianus.

Sic, si quis ex levi metu, vel ex suasionem non cogente, solemniter voveat, ligatur voto; quia metus non est gravis.

CONSECTARIUM II. Votum solemne Religionis elicatum antè decimum sextum annum, & non completo Noviciatus anno, est nullum; quia non acceptatur ab Ecclesia, nisi post illud tempus. Ità Trident. sess. 25. cap. 15. de Regularibus: *In quacumque Religione, tam virorum, quàm mulierum, professio non fiat antè decimum sextum annum expletum; nec qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur: Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel Religionis, vel ordinis observationem, aut alios quoscumque effectus.* Et juxtà ejusdem Concilii declarationes: Noviciatus debet esse continuus, & non intermissus. Numeratur tamen tempus, quo Novitius ægrotans existet è Monasterio convalescendi causa. Multa alia dicemus, quæ spectant ad professionem Religiosam, ubi de statu Religioso.

MONITUM. Nota ex Cajet quod quantumcumque impubes sit doli capax, ante annos pubertatis, non potest se obligare voto solemni Religionis. Et scito, inquit, idem Author, quod votum solemne Religionis, quod non valet pro solemni, propter defectum ætatis, non remanet habens vim voti

simplicis, declarante seu statuente hoc Ecclesiâ cap. *Is qui de Regul.* in 6. ubi dicitur, quod professus ante completum tempus statutum ab Ecclesiâ potest redire ad sæculum, quod non diceret Ecclesia, si talis, quantum in ipso est, teneretur ad Religionem, aut continentiam, hætenus Cajet.

Si tamen impubes, plenè instructus de differentiâ voti simplicis & solemnisi, actu expresso diceret, si non possim me obligare voto solemnisi, volo me obligare voto simplici, tunc ligaretur voto simplici; adsunt enim requisita ad votum simplex.

PROPOSITIO III. Nemo potest per votum se obligare in iis, in quibus subjicitur alteri, nisi interveniat consensus superioris.

Probatur 1^o Scrip. *Mulier, si quippiam voverit, & se constrinxerit juramento, si cognoverit pater & tacuerit, voti erit rea. . . Sin autem contradixerit Pater, vota & juramenta ejus irrita erunt, Num 30.*

2^o. Ex D. Tho. *Votum est promissio quædam facta Deo de meliori bono: Nullus autem potest per promissionem se firmiter obligare ad id, quod est in potestate alterius, sed solum ad id, quod est omninò in sua potestate; quicumque autem est subjectus alicui, quantum ad id, in quo est subjectus, non est sue potestatis facere, quod vult, sed dependet ex voluntate alterius: & ideò non potest se per votum firmiter obligare in his, in quibus alteri subjicitur, sine consensu sui superioris. 2. 2. p. 88. a. 8. in C.*

3^o. Si vovens voveret ea, quæ sunt alte-

rius - contrà voluntatem veri Domini, non faceret actum virtutis Religionis, sed actum iniustitiæ, subtrahendo alteri, quod ei debetur.

Conseſtaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Si servus voveat sine consensu Domini in his, in quibus subicitur Domino, v. g. si quid voveat, quod impediatur laborem quotidianum, aut reddat eum incapacem serviendi, nullum est votum, ità D. Tho. ibidem ad 2. *Servus, quia est in potestate Domini, etiã quantum ad personales operationes, non potest se voto obligare ad religionem, per quam ab obsequio Domini sui abstraheretur.* Idem statuitur Can. ex antiquis dist. 54.

CONSECTARIUM II. Nulla sunt impuberum vota elicita contradicentibus parentibus vel tutoribus, etsi usu rationis fruantur impuberes; sunt enim, inquit D. Thomas, naturaliter sub cura parentum, vel tutorum, qui sunt eis loco parentum, & proinde eorum vota robur non habent ex defectu dominii. 2. 2. q. 88. a. 9.

CONSECTARIUM III. Nulla sunt puerum vota, si voveant sinè consensu parentis vel tutoris aliquid repugnans gubernio domestico, v. g. abstinentiam à cibis, quibus alii utuntur: minimè verò, si voveant aliquid, quod ad perpetuum eorum statum pertineat; quia puer dominus sui est circa ea, quæ pertinent ad statum eligendum, & non circa gubernium domus. Ità

D. Tho. ibid. a. 8. ad 3. *Ex quo homo venit ad annos pubertatis, si sit liberæ conditionis, est suæ potestatis, quantum ad ea, que pertinent ad suam personam, puta quod obliget se religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat; non autem est suæ potestatis, quantum ad dispositionem domesticam; undè circa hoc non potest aliquid vovere, quod sit ratum, sinè consensu patris.*

CONSECTARIUM IV. Nullum est Episcopi votum, si sinè consensu Papæ voveat Ecclesiam suam relinquere; quia in hoc subicitur Papæ. cap. *Nisi cum pridem de renuntii.* Ubi dicitur Nidrosiensi Archiepiscopo quod liberum non habeat ad solitudinem volatum sinè licentia Sedis Apostolicæ.

CONSECTARIUM V. Nullum est Religiosi votum, si voveat sinè consensu Prælati aliquid contrà regulam Monachalem, ità D. Tho. ibid. a. 8. ad 3. *Religiosus subditus est Prælato quantum ad suas operationes secundum professionem regulæ; & ideo etiam si aliquis ad horam aliquid facere possit, quando ad alia non occupatur à Prælato; quia tamen nullum tempus exceptum est in quo Prælatus non possit eum circa aliquid occupare, nullum votum Religiosi est firmum; nisi sit de consensu Prælati. Sicut nec votum puellæ existens in domo, nisi de consensu patris; nec uxoris, nisi sit de consensu viri. Potest tamèn Monachus vovere ingressum in Religionem arctiorem; quia non subditur quoad hoc Prælato, & Prælati voluntas esset injusta.*

CONSECTARIUM VI. Nullum est votum, si alter conjugum voveat continen-

tiam sine consensu partis suæ, ita D. Tho. Dicendum, quod in his, in quibus uxor viro tenetur, & è converso; neuter potest vovere sine mutuo consensu: sicut patet de voto continentia. Sed quia in dispensatione domus & regimine vitæ, mulier est subdita viro, & non è converso; ideò vir potest in talibus vovere sine consensu uxoris, sed non è converso. In 4. Dist. 38. q. 1. a. 1. q. 3. ad 4.

§. IV.

De conditionibus requisitis ad Votum, ex parte objecti, seu ex parte rei, que voto promittitur.

PROPOSITIO I. Votum de re impossibili, de re illicita, vel vana est nullum.

Probatum 1°. Script. *Displicet ei*, id est Deo, infidelis & stulta promissio, Eccles. 5. v. 3. Votum autem de re impossibili, vel illicita, vel vana, est promissio stulta; ergò tale votum est nullum.

2°. Ex D. Tho. 2. 2. q. 88. a. 2. *De nullo illicito, nec de aliquo indifferente debet fieri votum, sed solum de aliquo actu virtutis...* Id pariter, quod est absolutè necessarium esse, vel non esse, nullo modo sub voto cadit: Ergo res illicita, res indifferens, res impossibilis non potest esse materia voti.

3°. Ratione. Votum est promissio deliberata de meliori bono, ex eo quod dicitur deliberata, res impossibilis non potest cadere sub voto; quia circa impossibilia non exercetur deliberatio; ex eo quod dicitur de

meliori bono, res illicita, vel vana non potest esse materia voti; quia res illicita non potest esse melius bonum.

4°. Deus per votum rei impossibilis, vel illicitæ, potius irridetur, quam honoratur: ergò votum non potest esse de re illicita, vel impossibili.

Conseſtaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Votum de re impossibili ex jam dictis est nullum; quia materia voti debet esse objectum deliberationis, res autem impossibilis nequit sub deliberationem cadere: ergo votum in sequentibus casibus est nullum.

Sic votum de re impossibili physicè est nullum, v. g. votum nunquam manducandi, nunquam bibendi; quia citrà miraculum homo non potest *semper à cibo abstinere*.

Sic votum de re impossibili moralitè, est nullum, v. g. votum nunquam peccandi venialitè; quia citrà privilegium speciale, homo non potest vitare omnia peccata venialia collectivè sumpta.

Sic votum de re impossibili ex aliena voluntate non ligat; quia materia voti non est in nostra potestate, v. g. votum intrandi tale Monasterium non ligat, si Monachi illius Monasterii nolint voventem recipere. Ità D. Tho. ibidem. *Ille, qui vovit Monasterium aliquod intrare, debet dare operam, quantum potest, ut ibi recipiatur; & siquidem intentio sua fuit se obligare ad Religionis ingres-*

sum principalitèr, & ex consequenti elegit hanc Religionem, vel hunc locum, quasi magis sibi congruentem, tenetur, si non potest ibi recipi, aliam intrare Religionem. Sin autèm principalitèr intendit se obligare ad hanc Religionem, vel ad hunc locum, proptèr specialem complacentiam hujus Religionis, vel loci, non tenetur alibi Religionem intrare, si eum illi recipere nollunt.

Sic votum de re impossibili ex propria culpa non ligat, nisi ad pœnitentiam culpæ præteritæ, & ad exactam observantiam illius, quod superest observandum; quia præteritum non est in potestate, benè tamèn futurum. Ità D. Tho. ibid. *Si vovens incidit in impossibilitatem implendi votum ex propria culpâ, tenetur insupèr de propria culpâ præteritâ pœnitentiam agere: sicut mulier, quæ vovit virginitatem, si postea corrumpatur, non solum debet servare, quod potest, scilicèt perpetuam continentiam, sed etiàm de eo, quod amisit peccando, pœnitere.*

CONSECTARIUM II. Votum de re ab intrinseco mala, vel ex eventu illicita, est nullum ex dictis; res enim quæ est voti materia, debet Deo placere, & non displicere: ergo votum in sequentibus casibus est nullum.

1°. Res ab intrinseco mala non potest esse materia voti Ità D. Tho. *Quædam sunt in omnem eventum mala, sicut ea, quæ secundùm se sunt peccata; & hæc nullo modo possunt sub voto cadere: & ità vota ista sunt nulla, v. g. voveo occisionem inimici; voveo furtum, &c. Quia sunt ab intrinseco*

mala : voveo eleemosinam ad obtinendum injustam vindictam ; quia votum esset malum ex fine.

2°. Res ex eventu mala non potest esse materia voti , ita D. Tho. ibid. Votum Jephthe erat secundum se validum , sed ex eventu non erat observandum ; neque enim , ut ait Hyeron. in cap. 7. Jere. *Si canis , asinus , aut immundum quodlibet animal tunc occurrisset , illud offerre debuerat Deo.*

3°. Votum de re secundum se licita , que tamen ex aliquibus circumstantiis fieri potest illicita , est validum , sublatis tamen circumstantiis vitiosis , de quo ita D. Tho. de maceratione corporis. *Maceratio proprii corporis , puta per vigiliis & jejunia , non est Deo accepta , nisi in quantum cum debita discretionem fit , ut scilicet concupiscentia refranetur , & natura non nimis gravetur ; & subtili tenore possunt hujusmodi sub voto cadere. Propter quod Paulus ait ad Rom. 12. Postquam dixerat , exhibeatis corpora vestra , Hostiam viventem , sanctam , Deo placentem ; addit : rationabile obsequium vestrum. Sed quia in his , que ad seipsum pertinent , de facili fallitur homo in judicando , talia vota congruentius secundum arbitrium superioris sunt vel servanda , vel pretermittenda : ita tamen quod si ex observatione talis voti magnum & manifestum gravamen sentiret , & non esset facultas ad superiorem recurrendi non deberet homo tale votum servare. 2. 2. q. 88. a. 2. ad 3.*

CONSECTARIUM III. Votum de re vana , & inutili ex dictis est nullum ; deridendum , potius quam observandum ; quia
votum

votum debet esse de meliori bono. Ità Ifidorus; *Stulta vota frangenda sunt*; & D. Tho. ibid. *Vota, quæ sunt de rebus vanis & inutilibus, deridenda sunt, potiùs quàm observanda*: Ergo votum est nullum in sequentibus casibus.

1°. Votum nunquàm peccandi crines, nunquàm lavandi manus, nunquàm ambulandi, est nullum; quia hæc vota sunt de rebus vanis.

2°. Votum ducendi uxorem, exercendi mercaturam, est nullum; quia non est de meliori bono. Potest tamèn fieri validum, si adjungatur circumstantia, quæ faciat rem meliorem, v. g. voves ducere in uxorem virginem, quam deflorasti, votum est de re meliori; quia melius est satisfacere injuriæ illatæ, quàm non satisfacere. Voves mercaturam, ut lucrum indè nascens des pauperibus, votum est bonum; quia est de re meliori; meliùs enim est dare eleemosinam ex bonis justè acquisitis, quàm non dare.

CONSECTARIUM IV. Votum de meliori bono secundùm se, seù ex objecto, ut dicunt, est validum, quamvis res illa sit ex circumstantia accidentali illicita, quia res secundùm se est bona, & solùm ex accidenti mala. Res secundùm se bona est observanda, circumstantia mala evitanda.

Sic, validum est votum dandi eleemosinam ex vana gloria. Eleemosina est danda, vana gloria evitanda.

Sic, votum de re meliori factum inter peccandum, ligat; quia non est malum ex objecto, sed solùm ex circumstantia, v. g.

278 MORALIS CHRISTIANA
vovet quis in duello se intraturum in Religionem, si exeat incolumis ex duello; votum ejus est validum. Vovet quis inter furandum se intraturum Religionem, si non deprehendatur in furto: votum validum est; quia in utroque casu res voto promissa est bona ex objecto.

§. V.

De obligatione Voti.

PROPOSITIO unica. Votum obligat sub peccato juxta rationalem intentionem voventis.

1^o. Script. *Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies sicut promissisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore locutus es. Deut. 23. v. 23. Quodcumque voveris, redde; multoquē melius est non vovere; quā post votum promissa non reddere. Eccles. 5. 4.*

2^o. Ex Innoc. Epist. ad Vitricum. *Inter homines bonæ fidei solent contractus nulla ratione dissolvi; quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit virgo, sine vindictâ solvi non debet.*

3^o. Votum frangere, ex Aug. in psal. 83. est retrò respicere; retrò autem respicere juxta Phrasim Evangelicam est in infernum descendere & à Paradiso deviare; & proinde votum frangere, est gravissimè peccare alius, inquit. Aug. *ex munere Dei vovit, statuit, nec nuptias pati: non damnaretur, si duxisset uxorem: post votum, quod promissit*

Deo, si duxerit, damnabitur : quare, nisi quia respexit retrò.

4°. Votum est privata lex, quam sibi præfigit votens : ergò sicuti lex ligat juxta intentionem rationalem legislatoris, ità votum ligat, juxta intentionem rationalem voventis.

Consectaria hujus Doctrina.

CONSECTARIUM I. Peccat peccato sacrilegii, quicumque infringit votum ; quia hæc est rationalis voventis intentio, ut votendo constringat se Deo nexu Religionis, sicuti promittendo constringit se homini vinculo fidelitatis : ac proindè infringens votum fit reus sacrilegii, sicuti infringens promissum est reus infidelitatis.

CONSECTARIUM II. Quicumque infringit votum ; peccat peccato mortali, si materia sit gravis ; peccato veniali, si materia sit levis ; quia votum ligat juxta rationalem intentionem voventis, sicuti lex ligat juxta intentionem rationalem Legislatoris. Ergò sicut lex obligat sub mortali in materia gravi, sub veniali in materia levi ; ità & votum. Ità D. Tho. *Qui votum rectè factam prætermittit, mortaliter peccat, scilicèt in materia gravi : quia fidem, quam cum domino iniit, frangit.* In 4. d. 38. q. 1. a. 2. Si verò materia sit levis, peccat venialitèr, inquit Sotus ; quia votum non potest magis urgere, quàm lex Ecclesiastica, vel divina, quæ ligant tantum sub veniali in materia levi.

CONSECTARIUM III. Quicumque infringit votum solemne, gravius peccat, quam qui infringit votum simplex, quia promissio solemnis fortius ligat, quam promissio simplex: ita tamen quod utriusque voti violatio sit peccatum mortale, si materia sit gravis, ita D. Tho. *Votum solemne fortius habet obligationem apud Deum, quam votum simplex; & gravius peccat, qui illud transgreditur. Quod autem dicitur, quod votum simplex, non minus obligat apud Deum, quam solemne; intelligendum est, quantum ad hoc quod utriusque transgressor, scilicet in materia gravi, peccat mortaliter, 2. 2. q. 88. a. 7. ad 1.*

CONSECTARIUM IV. Quicumque infringit votum, vel simplex, vel solemne; si votum sit de re jam præcepta, bis peccat. 1°. Contrà præceptum. 2°. Contrà votum; quæ circumstantia, utpotè varians speciem, debet in confessione explicari, ut jubet Tridentinum; quia intentio voventis aliquid jam præceptum, est novo vinculo se obligare ad exequendam rem præceptam, novoque peccato se innodare, si violetur res præcepta. Sic qui vovit castitatem, si utatur delectatione venerea, peccat contrà castitatem & contrà Religionem.

CONSECTARIUM V. Quicumque votum elicit, tenetur illud adimplere juxta terminos suæ intentionis, quando expressa est voventis intentio. Quia, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 3. *Obligatio voti ex propria voluntate & intentione causatur. . . & id. è. si in intentione & voluntate voventis, est obligare se ad statim solvendum, tunc.*

tur statim solvere: si autem ad certum tempus, vel sub certâ conditione; non statim tenetur solvere: sed nec tardare debet ultra quàm intendit se obligare. Dicitur enim Deut. 23. cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi ad peccatum.

Sic, qui vovit rem certam determinatam, v. g. hunc calicem, tenetur rem illam, & non aliam dare. Itaque si casu pereat res illa, non tenetur aliam substituere; Si verò vovens rem illam vendidisset, teneretur dare pecuniam, quam accepit; quia intentio voventis fuit rem illam determinatam dare, vel ejus pretium restituere, si rem Deo per votum destinatam aliò diverteret.

Sic, qui vovit aliquid certo loco, certo tempore, tenetur juxtâ determinatum locum, & tempus rem voto promissam facere; & si prædicto loco, vel tempore fieri nequeat, non tenetur aliud substituere, v. g. qui vovit jejunare certo die, eo transacto non tenetur alio die jejunare. Qui vovit talem Religionem, repulsus ab illa, non tenetur aliam ingredi; quia intentio voventis ad rem tali tempore, talivè loco exequendam ferebatur.

CONSECTARIUM VI. Quando intentio voventis non est expressa, & determinata, qui votum elicit, tenetur illud adimplere non juxtâ rigidiorum, vel laxiorum sensum verborum, quibus vovendo usus est, sed secundum communem, & usitatam acceptionem eorundem verborum; quia vo-

tum est privata lex, quam vovens sibi præfigit; lex autem ligat non juxta rigidiorē, vel laxiorē interpretationem, sed juxta communem acceptionem: ergò & votum ligat eodem modo.

Sic, qui vovit aliquid in genere, non determinando qualitatem illius generis, satisfacit voto, dando, aut faciendo aliquid illius generis, modò illud, quod fit, non fit adeò vile, aut parvum, ut votum videatur potiùs irrideri, quàm solvi: quia intentio voventis aliquid in genere, ea est, ut nec optimum, nec vilissimum, sed commune illius generis offeratur.

Ac proindè, qui vovit Religionem in genere, piè se geret, si ingrediatur rigidiorē; imprudenter, si ingrediatur laxiorē: sed voto satisfaciet modò ingrediatur Religionem, in qua observantur vota essentialia Religioni.

Similiter, qui vovit triticum, &c. Non tenetur dare optimum, sed satisfacit voto, si det commune; minime verò, si det planè vilissimum.

Deniquè, qui vovit argentum, triticum, &c. non determinando quantitatem, non tenetur dare omnem eam quantitatem, quam potest, sed satisfacit voto, si det id, quod commodè potest; minimè verò, si ita parùm daret, ut votum videretur irridere potiùs, quàm solvere.

CONSECTARIUM VII. Qui vovit aliquid sub conditione futura, tenetur voto, si ponatur conditio; non ligatur voto, si citrà culpam voventis, non ponatur conditio;

quìa intentio voventis ea est, ut ligetur non absolutè, sed conditionatè.

Sic, vovisti religionem, si pater convalescat; teneris voto si pater convalescat; secus, si aliter eveniat.

CONSECTARIUM VIII. Qui vovit aliquid sub conditione futura, si malitià, vel dolo, vèl vi impediatur, nè ponatur conditio, tenetur voto; quìa intentio rationalis voventis talis debet esse, ut voto se se innodatum judicet; si conditionem, à quà dependet votum, fraudulentè impediatur; nemini enim sua fraus debet patrocinari.

Sic, vovet quis religionem, si sanitatem recuperet intrà mensem; postea dolo, malitiavè, ex intemperantia, eam non obtinet, tenetur voto.

Sic, vovet quis religionem, si à fornicatione per annum abstineat, ex malitià, & pravà intentione non abstinet, tenetur voto.

CONSECTARIUM IX. In dubiis circà vota tutior pars est amplectenda; quìa rationalis intentio voventis talis debet esse, ut velit potius favere legi, quàm libertati. Id docet D. Thom. his verbis: *Si dubitet, quomodo se in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat.* in 4. sent. dist. 38. q. 1. a. 3. q. 1. ad 6.

Sic, quandò aliquis certus est se vovisse; dubitat autèm, quam habuerit intentionem in vovendo, tenetur votum observare; quìa præsumitur se habuisse intentionem requisitam ad vovendum; & quìa hæc via est tutior.

Sic, quandò vovens certus est se vovisse,

sed dubitat, an habuerit sufficientem deliberationem; an votum ex metu processerit; an metus fuerit gravis, vel levis; tenetur votum observare: quia possessio stat pro voto, quod emissum fuisse constat; & quia via hæc tutior est.

Sic, quando vovens dubitat an adimpleverit votum, quod certò scit elicuisse, tenetur adimplere; quia possessio stat pro voto; & via hæc tutior est.

Sic si dubitet quis, an emisit votum, in dubio debet saltèm dispensationem petere; quia hæc via est tutior.

§. VII.

De cessatione voti ex parte objecti.

PROPOSITIO unica. Obligatio voti cessat, quotiès objectum, quod est materia voti, fit vel impossibile, vel illicitum, vel vanum.

Probatur 1°. Script. *Displicet Deo stulta & infidelis promissio.*

2°. Ex D. Thom. *Qui vovet, quodammodo statuit sibi legem, obligans se ad aliquid, quod est secundum se, & in pluribus bonum; tamèn potest contingere, quod in aliquo casu sit, vel simpliciter malum, vel inutile, vel majoris boni impeditivum, quod est contrarium ejus, quod cadit sub voto: & ideò necessarium est, quod determinetur in tali casu votum non esse servandum.* 2. 2. q. 88. a. 10. in corp.

3°. Adimpletio voti eò tendit, ut colatur Deus; quia votum est actus religionis; in

talibus autem circumstantiis, Deus non coleretur, sed irideretur: ergo votum tunc non obligat.

Conseſtaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Obligatio voti cessat ex supra dictis, quando objectum, quod est materia voti, est impossibile ei, qui votum elicit: ergo cessat in sequentibus casibus.

Vovisti dare e'eemofinam, & factus es pauper; non teneris voto, nisi juxta tuas facultates... Vovisti jejunium, factus es infirmus; non teneris voto... Vovisti virginitatem, post votum illicitè contraxisti matrimonium; non teneris servare virginitatem, abstinendo omninò à copula conjugali; quia injuriam faceres comparti; sed teneris servare votum, in quo potes; debes abstinere à petendo debito conjugali, ut satisfacias voto, & debes reddere debitum conjugale comparti postulanti, ut satisfacias justitiæ.

CONSECTARIUM II. Quando votum extendit se ad principale & accessoria; si principale sit impossibile, non ligat quo ad accessoria: quia accessorium sequitur principale.

Sic, vovisti construere Ecclesiam, & dare ornamenta Ecclesiæ constructæ; non potes construere Ecclesiam, potes tamèn dare ornamenta alteri Ecclesiæ; non teneris dare ornamenta.

Sic, vovisti peregrinationem facere ac-

cinctus cilicio; non potes peregrinari, potes tamèn cilicio accingi, non teneris accingi cilicio.

CONSECTARIUM III. Quando materia voti fit illicita ei, qui votum elicit, votum non ligat ex dictis: quia votum debet esse de majori bono: ergo cessat in sequenti casu & similibus.

Sic, existens in sæculo, vovisti te daturum pauperibus, quidquid labore manuum tuarum acquireret, factus religiosus, non teneris voto: quia illicitum est religioso disporre de bonis, quæ labore suo acquirit; quia quidquid acquirit Monachus, Monasterio acquirit.

CONSECTARIUM IV. Votum non ligat ex dictis, quando materia voti fit vana, & indifferens, & non conducens ad gloriam Dei: ergo votum cessat in sequenti casu &c. Vovisti te non transiturum per aliquam viam; quia ibi occurrit tibi mulier, te alliciens ad peccandum. Moritur illa mulier, nullaque superest nascens ex ea via occasio peccandi, votum non ligat, quia materia hujus voti vana est & indifferens.

§. VII.

De cessatione voti interventu auctoritatis humanæ.

Nota. Votum cessat interventu auctoritatis humanæ multipliciter. 1°. Irritatione. 2°. Commutatione. 3°. Dispensatione.

De irritatione voti.

Nota. Irritatio generatim est actio, quâ superior declarat se contradicere, & tollere, quantum in se est, votum emissum à suo inferiore.

Irritatio est duplex, directa, & indirecta.

Irritatio directa est actio, quâ superior dominans voluntati inferioris, declarat se rescindere votum emissum à suo inferiore: talis est actio, quâ pater rescindit votum filii impuberis.

Irritatio indirecta est actio, quâ superior Dominus, non voluntatis, sed objecti, quod est materia voti eliciti à suo inferiore, auctoritate suâ declarat se nolle objectum, cujus est Dominus, esse materiam voti sui inferioris; talis est actio, quâ uxor habens potestatem, non circa voluntatem, sed circa corpus viri sui, declarat, se nolle acquiescere voto castitatis, quod maritus post initum matrimonium elicuit.

PROPOSITIO I. Superior, qui habet dominium suprâ voluntatem inferioris, potest directè, si velit, irritare quodlibet votum inferioris.

Probat 1°. Script. *Si contradixerit pater, vota & juramenta filiorum irrita erunt.* Num. 30. v. 6.

2°. Ex D. Thom. *Si puer, vel puella ante annos pubertatis nondum habeat usum rationis, nullo modo potest ad aliquid voto se obli-*

gare : si verò antè annos pubertatis , attingit usum rationis , potest quidè , quantum in se est , se obligare ; sed votum ejus irritari potest per parentes , quorum curæ remanet subjeetus. 2. 2. q. 88. a. 9.

3°. Ratione. Qui non est sui juris , non potest se obligare juramento , vel voto , nisi dependenter à superiore ; quia aliter superiori faceret injuriam : quod si inferior invito superiori se voto ligaverit , poterit ejus votum , ut potè injustum , declarari nullum ab ejus superiore.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Pater , & mater , avi , tutores , possunt irritare vota quaecumque filiorum impuberum sibi subditorum ; quia nondum sunt sui juris Non tamen possunt irritare vota filiorum puberum ; quia sunt sui juris.

CONSECTARIUM II. Dominus potest irritare omnia vota mancipiorum ; quia non sunt sui juris.

CONSECTARIUM III. Superior spiritualis , v. g. Papa , Episcopus , Abbas , Prior , possunt directè irritare vota suorum inferiorum ; quia hi non sunt sui juris ; non possunt tamèn irritare vota elicita circa ea , quæ eis non subjiciuntur , v. g. Papa non potest irritare votum de re aliundè præcepta , v. g. Votum non furandi , votum non machandi ; quia in hoc Papa non est Dominus : Episcopus non potest irritare votum , quod
non

non est contra bonum suæ Diœceseos ; quia in hoc Episcopus non est Dominus. Abbas & Prior non possunt irritare vota Novitiorum ; quia Novitii non subduntur Prælati. Non possunt pariter irritare vota , quæ Religiosi eliciunt transeundi ad strictiorem Religio- nem ; quia Religiosi non subduntur quoad hoc , Abbati vel Priori.

MONITUM. Votum irritatum directè , non reviviscit ; quia declaratum fuit nul- lum. Si ratificetur eo tempore , quo vovens non est sui juris , non ligat , nisi consentiat superior ; si verò ratificetur eo tempore , quo vovens est sui juris , ligat ; quia tunc no- vum votum elicitur . . . Sic , si impubes & mancipium rata habeant vota directè irrita- ta , quando facti sunt sui juris , tenentur vo- to ; quia votum irritatum novâ promissione reviviscit.

ROPOSITIO II. Superior , qui habet dominium suprâ materiam voti , potest in- directè votum sui inferioris irritare.

Probat 1°. Ex D. Thom. *Quicumquè autem subiectus est alicui , quantum ad id , in quo subiectus est , non est potestatis suæ facere quod vult , sed dependet ex voluntate alterius : & idè non potest se firmitè obligare per votum in his , in quibus alteri subicitur , sine consensu sui superioris.* 2. 2. q. 88. a. 8. Ergò potest superior materiam illius voti sibi reservare ; & hoc est irritare votum indirectè.

2°. Ratione. Qui non est Dominus ob- jecti , quod est materia sui voti , non potest citrà injustitiam eam Domino offerre : ergò votum ejus potest irritari indirectè per il-

290 MORALIS CHRISTIANA.
lum, qui habet auctoritatem suprà talem ma-
teriam.

Consectaria hujus doctrine.

CONSECTARIUM. I. Pater, & ma-
ter, avus, tutor, possunt irritare indirectè
ea vota, quæ filii, nepotes, pupilli, eli-
cuerunt post anons pubertatis, si eadem vo-
ta contrariantur recto familiæ gubernio;
quìa ea materia eis subjicitur; minimè ve-
rò vota, quæ non repugnant familiæ gu-
bernio; quìa hæc materia non eis subji-
tur, ità D. Thom. *Ex quo homo venit ad
annos pubertatis, si sit liberæ conditionis, est
sue potestatis, quantum ad ea, quæ pertinent
ad suam personam; putà quod se obliget reli-
gioni per votum, vèl quod matrimonium con-
trahat; non autèm est sue potestatis, quan-
tùm ad dispositionem domesticam; undè circa id
non potest aliquid vovere, quod sit ratum sine
consensu patris. 2. 2. q. 88. a. 8. ad 2.*

CONSECTARIUM. II. Superior Reli-
gionis potest indirectè irritare omnia vota
Novitiorum, quæ impediunt exercitia No-
vitiatus; quìa hæc materia illi subjicitur;
minimè alia vota, quæ Novitius elicuit, v.g.
inrandi in Religionem strictiorem; quìa hæc
materia non ei subjicitur.

CONSECTARIUM III. Uxor potest ir-
ritare indirectè vota omnia mariti, quæ re-
pugnant statui conjugali, v. g. votum casti-
tatis, quod elicuisset inito matrimonio, non
verò quod elicuisset antè matrimonium;
quìa antè matrimonium nullam habebat au-

toritatem suprà corpus mariti, benè tamèn post matrimonium inritum.

CONSECTARIUM IV. Dominus potest indirectè irritare vota, & juramenta servorum, quibus servi fiunt inhabiles ad servitium: *Servus autèm*, inquit D. Thom. *Quia est in potestate Domini etiàm quantum ad personales operationes, non potest se voto obligare ad Religionem, per quam ab obsequio Domini sui abstraheretur.* Ibid. quod debet intelligi de mancipiis, non verò de servis, quibus vulgò; utimur hi enim habent haud dubiè potestatem providendi suæ salutis, sicuti filii familias, etiam subtrahendo se à servitio Domini suorum.

CONSECTARIUM V. Papa potest irritare omnia vota, quæ possent totius Ecclesiæ bono obesse, v. g. votum manendi in aliqua peculiari Diocesi, in aliqua peculiari congregatione, si votum illud impediat bonum Ecclesiæ, v. g. si Papa opus haberet, ut talis operarius serviret Ecclesiæ in alio loco; quia Papa auctoritatem habet circa ea, quæ spectant universalis Ecclesiæ regimen: sicut pater-familias habet auctoritatem circa ea, quæ spectant domus gubernium.

CONSECTARIUM VI. Episcopus potest irritare indirectè omnia vota elicita à suis subditis; si illa vota bono suæ Dioceseos præjudicium afferrent, v. g. votum serviendi alicui peculiari Ecclesiæ; quia Episcopus habet auctoritatem circa ea, quæ spectant regimen suæ Dioceseos; sicut pater-familias circa ea, quæ spectant gubernium domus.

MONITUM. Vota indirecte irritata reviviscunt hoc ipso, quod cessat injuria, & præjudicium personæ irritantis; quia votum non irritatur indirectè, nisi ut impediatur injustitia, quæ à vovente committeretur, si suum votum observaret.

Sic, vir conjugatus vovit castitatem, votum illius irritatur indirectè ab uxore; maritus manet liber à voto vivente uxore: moritur uxor, votum reviviscit, & tenetur servare castitatem.

Sic, minor vovet se daturum pecunias pauperibus; votum illud irritatur à tutore, minor liber est à voto durante minoratu, sed transacto minoratu minor tenetur dare pauperibus, quod promisit.

De commutatione voti:

Nota. Commutatio voti est substitutio rei bonæ & honestæ in locum rei per votum promissæ: ut quandò peregrinatio voto promissa mutatur in eleemosinam.

PROPOSITIO unica. Quilibet potest commutare votum in rem meliorem, si Deo hîc & nunc judicetur magis accepta. In rem minorem vel æqualem non potest mutare, nisi solus superior.

Probatur prima Pars, quod scilicet quilibet potest commutare votum in rem meliorem. Bern. Epist. 57. *Non arbitror Deum exigere quodcumquè promissum votum, si pro eo aliquid melius fuerit persolutum.*

2. Rat. Ratio id convincit; quia tunc major honos Deo rependitur.

Sic, vovisti peregrinationem, potes tuâ autoritate mutare votum peregrinandi in alia pietatis exercitia, quæ ad salutem magis conducent, quam peregrinatio, v. g. si per dies aliquos in pium locum secedas, ibique unicè de reformanda vita cogites.

Probatur secunda Pars. Sicilicet quod solus superior Ecclesiasticus possit mutare votum in rem vel æqualem, vel minorem.

1°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 12. Ubi sic loquitur: *Prælati in Ecclesia gerit vicem Dei, & ideo in commutatione, vel dispensatione votorum requiritur prælati autoritas, qui in persona Dei determinet, quid sit Deo acceptum.*

2°. Ratione. Commutatio voti in minus vel in aequale, est actus jurisdictionis, quo declaratur Deum potius acceptaturum id, quod offertur post commutationem, quam id quod voto oblatum fuerat: ergo ad hanc declarationem juridicam requiritur, non solum doctrina prudentis viri, uti sufficit cum votum mutatur in rem meliorem: sed necessum est etiam, ut interveniat prælati autoritas.

Consectaria hujus doctrine.

CONSECTARIUM I. Quando evidenter constat votum in rem meliorem, & Deo gratiorem commutari, non est recurrendum ad superiorem, sed sufficit recurrere ad prudentem virum, vel ad proprium judicium: tunc enim ut ait cajet: verbo, *votum: Deo, cui facta est promissio, satisficit plenius dando majus, & acceptius ei bonum.*

Sic, quodcumque votum elicueris, potes illud propria autoritate mutare in votum Religionis, quam profitearis, omnia enim vota particularia, quantumcumque perfecta sunt, mutantur in melius, cum mutantur in professionem Religiosam. *Dicendum*, inquit D. Thom. *Quod omnia alia vota sunt quorundam particularium, sed per Religionem homo totam suam vitam Dei obsequio deputat; particulare autem in universali continetur. Ideo decretalis dicit. Reus voti facti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis observantiam commutat, nec Religionem ingrediens tenetur; Implere vota, vel jejuniorum, vel orationum, vel aliorum ejusmodi, que in seculo fecit. 2. 2. q. 88. a. 12. ad r.*

CONSECTARIUM. II. Quando non constat, sed dubitatur, an votum mutetur in rem meliorem, tunc recurrendum est ad superiorem, qui gerens vices Dei, talem mutationem acceptet.

Observa ex cajetano verbo, *votum*. Quod commutatio non tollit vinculum voti, sed mutat materiam voti. Unde etsi de rigore juris, commutatio sufficiens videatur, si fiat in aliquid æquale; tamen ut commutans tutior sit, commutet semper in aliquid melius.

De dispensatione.

Nota. Dispensatio est relaxatio vinculi voti, seu condonatio obligationis erga Deum à vovente contractæ.

PROPOSITIO unica. Solus Prælati Ec-

eclesiasticus habens jurisdictionem potest dispensare.

Probat^{ur} 1°. Script. Nàm & ego, inquit Paulus, quod donavi propter vos in persona christi. 2. Corinth. cap. 2. v. 10. Ergò in condonatione, seù dispensatione requiritur autoritas veniens à Christo.

2°. Ratione. Et Author. D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 12. *Votum est promissio facta Deo de aliquo, quod sit Deo acceptum. Quid sit autem in aliqua promissione acceptum ei, cui promittitur, ex ejus pendet arbitrio; Prælati autem in Ecclesia gerit vicem Dei: & ideo in commutatione, vel dispensatione votorum, requiritur Prælati autoritas, qui in persona Dei determinet, quid sit Deo acceptum.*

3°. Ratione. Sicut lex obligat ad aliquid faciendum ita & votum: sed ad dispensandum in præcepto legis, requiritur autoritas superioris: ergò pari ratione etiàm in dispensatione voti.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Papa potest dispensare in omnibus votis dispensabilibus; quia habet universalem auctoritatem in Ecclesia. Ità D. Thom. *Dicendum, quod quia summus Pontifex gerit plenariè vicem Christi in tota Ecclesia; ipse habet plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis; aliis autem inferioribus Prælati committitur dispensatio in votis, quæ communiter fiunt, & indigent frequenti dispensatione, ut habeant de facili homines, ad quem recurrant; sicut sunt vota peregrinationum, jejuniorum, & aliorum hujusmodi.* 2. 2. q. 88. a. 12. ad 3.

Vota autem quæ reservantur summo Pontifici sunt. 1°. Votum absolutum perpetuæ castitatis. 2°. Votum Religionis promissæ. 3°. Votum peregrinationis terræ sanctæ, ad limina Apostolorum, & ad sanctum Jacobum Compostellanum.

CONSECTARIUM II. Papa potest dare potestatem dispensandi in prædictis votis; quia qui habet supremam authoritatem, & non est delegatus, uti est Pontifex, potest alium delegare.

Sic, Papa dat aliquandò cuilibet Sacerdoti potestatem dispensandi in votis tempore Jubilæi, & alio tempore aliquibus confessoribus à se deputatis.

CONSECTARIUM III. In minoribus & communibus votis dispensare possunt Episcopi suos subditos, & Prælati regulares suos pariter subditos; quia utrique habent jurisdictionem relativè ad suos subditos; Episcopi quidem jure divino: posuit enim Deus Episcopos regere Ecclesiam Dei; Prælati regulares ex jure Ecclesiastico; quia ex privilegio regulares subjiciuntur suis Abbatibus.

CONSECTARIUM IV. Tria sunt vota, in quibus solus Romanus Pontifex, ordinariè, non quidem ex aliquo jure scripto, sed ex consuetudine, quæ æquivalet reservationi virtuali, potest dispensare. Ea sunt ex jam dictis. 1°. Votum castitatis perpetuæ. 2°. Votum dandi nomen Religionis approbatæ. 3°. Votum peregrinationis ad limina Apostolorum, ad sanctum Jacobum, ad urbem Hierosolimitanam; quia ea vota ex usu, qui æquivalet legi, reservantur summo Pontifici.

CONSECTARIUM V. In quibuscumque aliis votis possunt fideles à suis Episcopis dispensari, quia circa illa vota Episcopi habent auctoritatem Episcopalem jure divino, nulla reservatione restrictam. Unde ab Episcopo dispensabilia sunt. 1°. Votum non nubendi. 2°. Votum castitatis ad tempus. 3°. Votum non petendi debitum conjugale. 4°. Votum suscipiendi ordinem sacrum; licet ex institutione Ecclesiæ annexum habeat votum solemnè castitatis. 5°. Votum conditionatum perpetuæ castitatis, conditione manente adhuc in suspenso; minimè verò adimpleta conditione, v. g. si filius aut filia voverit perpetuam continentiam, si pater ex bello vel captivitate redeat; Episcopus conditione non posita, potest dispensare; conditione posita non potest dispensare; quia votum conditionatum posita conditione transit in absolutum; incertum verò & conditionatum, conditione manente in suspenso. 6°. Votum Religionis strictioris, v. g. Carthusianorum, modò intretur in mitiorem Religionem; quia non est dispensatio circa Religionem, sed circa circumstantias Religionis. 7°. Votum dubium & ambiguum: ut si dubitetur, utrùm sufficiens præcesserit deliberatio in promittente. 8°. Votum emissum in gratiam alicujus tertiæ personæ, si votum illud non acceptaverit, neque per se, neque per aliam vices ejus gerentem. Ratio prædictorum omnium est juxtà Cabalfutum lib. 1. cap. 8. Theoriæ & praxis juris nam 14. quia absoluta & disertè concepta vota esse convenit; ut. Papæ reservata cen-

seantur; & quia ita necesse esse compertum est ob gravia animarum pericula, quibus se quamplurimos implicare videmus ex nimia facilitate, & præcipiti fervore se votis adstringendi.

CONSECTARIUM VI. Abbas potest dispensare suos Monachos in votis omnibus summo Pontifici non reservatis; quia Abbas habet jurisdictionem supra suos Monachos, quasi Episcopalem.

CONSECTARIUM VII. Capitulum potest sede vacante dispensare in eisdem votis, in quibus Episcopi; quia habet jurisdictionem Episcopi.

Quæ causæ requirantur, ad hoc ut valida & licita sit, & commutatio, & dispensatio, dictum est, ubi de dispensatione legis; eadem enim est ratio utriusque, cum votum sit quasi quædam Lex, quam sibi vovens constituit Motivum verò commutandi & dispensandi in votis, debet esse major Dei gloriâ, utilitas Ecclesiæ, & bonum spirituale illius, qui vovit.

CAPUT IV.

De vitiis oppositis Religioni:

Vitia opposita Religioni sunt superstitio, & irreligiositas. Superstitio opponitur Religioni per excessum; irreligiositas per defectum.

ARTICULUS I.

De Superstitione & ejus speciebus.

Superstitio est cultus vitiosus per excessum, quo vel creatura colitur ut Deus;

vel Deus aliter colitur, quàm oporteat.

Superstitio est vitiosa, vel ratione objecti, vel ratione modi.

Superstitio vitiosa ratione objecti est, quando colitur falsum numen, quod contemnendum est potius, quàm colendum.

Superstitio vitiosa ratione modi est, quando verum numen aliter colitur, quàm oporteat.

Actus superstitionis vitiosæ quoad objectum sunt, idololatria, divinatio, vana observantia, maleficium, Magia.

Idololatria est actus, quo cultus Deo debitus redditur creaturis.

Divinatio est actus, quo tacite, vel expresse invocatur dæmon, ad cognoscenda futura contingentia.

Vana observantia est actus, quo tacite vel expresse invocatur dæmon, observando aliquid non conducens, & insufficiens ad id, quod expectatur.

Maleficium est actus, quo tacite, vel expresse invocatur dæmon, ad nocendum aliis.

Magia est actus, quo tacite invocatur dæmon, ad operandum mira & stupenda.

Actus superstitionis vitiosæ quoad modum sunt, cultus perniciosus, & cultus superfluus.

Cultus perniciosus est cultus Deo exhibitus contra veritatem fidei: ut si quis Christum jam natum suis ceremoniis quasi venturum expectaret: uti faciunt Judæi.

Cultus superfluus est cultus Deo exhibitus contra solitum Ecclesiæ morem; ut si quis agat contra Rubricas Ecclesiæ, vel in Missâ celebrandâ; vel in officio recitando.

ARTICULUS II.

De regulis ad dignoscendam superstitionem ex objecto.

PROPOSITIO I. Toties actus est superstitiosus ex objecto ; quoties res , quæ fit , non habet virtutem inducendi effectum , qui expectatur ; virtutem , inquam , vel ex natura sua , vel ex Dei elevatione : quæ elevatio divina non debet præsumi , nisi in eis , quæ Deus se elevaturum promisit.

Proba. autorit. & ratione D. Th. 2. 2. q. 96. a. 2. *In his , quæ fiunt ad aliquos effectus particulares inducendos , considerandum est , utrum videantur posse naturaliter effectus tales causare ; sic enim non erit illicitum ; licet enim causas naturales adhibere ad proprios effectus ; undè si naturaliter non videantur posse tales effectus causare , consequens est , quod nec adhibeantur ad hos effectus causandos tanquam causa , sed solum quasi signa ; & sic pertinent ad pacta significationum cum demonibus inita.* Undè S. Aug. lib. 21. de Civit. Dei cap. 6. *Scribit : Illiciuntur demones ad inhabitandum per creaturas , quas non ipsi , sed Deus condidit , delectabilibus pro suâ diversitate diversis , non ut animalia cibus , sed ut spiritus signis , quæ cuiusque delectationi congruunt , per varia genera lapidum herbarum , lignorum , animalium , carminum , rituum.* Ergò juxtà D. Aug. & D. Tho. Toties præsumi , vel timeri debet superstitio , quoties res , quæ fit , non habet vim , neque naturalem , neque supernaturalem

lem, inducendi effectum, qui expectatur. 2, 2. 96. a. 2. in corp.

Consectaria hujus Doctrinæ.

De his in quibus non est superstitio.

CONSECTARIUM I. Non est superstitio, expectare gratiam à Sacramentis; quinimò actus Religionis est: quia Sacramenta ex Dei promissione facta Ecclesiæ, elevantur divinitus ad producendam gratiam.

CONSECTARIUM II. Non est superstitio, attendere ad tempus Jubilæi, Indulgentiarum, Festivitatum, &c. Ut eo tempore ferventiùs orationi vacemus, & gratiam à Deo expectemus; quia non illa tempora serviliter observamus, ut Judæi, sed ea potius inspicimus, quæ temporibus significantur. Ut docet Aug. contra Adimantum cap. 16. *Nos quoque Dominicam diem & Pascha solemniter celebramus, & quælibet alias Christianas dierum festivitates; sed quia intelligimus, quò pertineant, non tempora observamus; sed quæ illis significantur temporibus.*

CONSECTARIUM III. Non est superstitio figuram crucis secum deferre, sanctum Dei Evangelium, Rosarium, Scapulare, si pio animo fiat nullisque vanis circumstantiis adjunctis vitietur; in his enim actionibus tota fiducia in Deo collocatur. Eadem est ratio ex D. Thom. de reliquiis sanctorum, quæ ex devotione portantur, ita enim loquitur. 2. 2. q. 96. a. 4. ad 3. *Quia si portentur ex fiducia Dei & sanctorum, quorum*

sunt reliquæ, non erit illicitum: si autem circa hoc attenderetur aliquid aliud vanum; putà, quod vas esset triangulare, aut aliquid aliud hujusmodi, quod non pertineret ad reverentiam Dei, & sanctorum, esset superstitiosum & illicitum. Et Aug. Tract. 7. in Joan. Cum caput tibi dolet, laudamus, si Evangelium ad caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris.

CONSECTARIUM IV. Non est superstitio observare lunam, aut tempora aptiora colligendis herbis, purgandis corporibus, dandis remediis, cædendis arboribus, &c. v. g. observare crescentem aut decreascentem lunam; quia longo multorum experimento constat, causas naturales vim efficaciorẽ habere certo tempore, quàm alio.

CONSECTARIUM V. Non est superstitiosum uti cœlestibus signis, & volatu avium ad cognoscendum certos effectus naturales; quia juxta omnes ex syderum inspectione & avium volatu prænuntiari possunt tempestatum mutationes, pluvix, grandines, &c. Astra prænuntiant certò futuros effectus naturales, quales sunt eclipfes, pluvix, &c. Quippè ex Dei institutione facta sunt, ut sint in signa, & tempora, & dies, & annos. Gen. 1. v. 14. Illos eodẽ effectus aves prænuntiare possunt; hyrundo enim adventans, ver adventare significat; & recedens, hyemem denotat. Hinc est, quod Jerem. cap. 8. v. 7. dicitur. *Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur & hyrundo & ciconia custodierunt tempus adventus sui.*

CONSECTARIUM VI. Vana quidem cu-

tiōfitas est, uti astrorum aspectu, situ, & influxu in puncto nativitatis alicujus, ad cognoscendum etiam conjecturaliter ejus temperamentum; quia astrorum distantia, rapidissimus illorum motus, & plures alii obices impediunt, ne certò cognoscamus, quis fuerit aspectus astrorum in puncto conceptionis, & nativitatis illius, cujus temperamentum indagamus; sed absolutè non est superstitio uti hac inspectione. Etenim si astra influant in hæc inferiora, ut multi tenent Philosophi, possunt aliquid in corporeis humoribus efficere, & ad cognoscendum temperamentum inservire: unde vulgò dicitur, quod qui nascuntur sub Marte, sunt ad bellum proclives, &c.

CONSECTARIUM VII. Vana quidem curiositas est, uti lineamentis manuum, frontis, &c. ad cognoscendum etiam conjecturaliter temperamentum hominis; quia, ut fert vulgare effatum, frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur; sed uti lineamentis ad cognoscendum conjecturaliter habitualementem propensionem, non est absolutè superstitio: humores enim multum conducunt ad habitualementem propensionem; humores autem produnt se exterius in carne; unde natum illud effatum: qualis prævalet humor in corpore, talis perhibetur in cute.

CONSECTARIUM VIII. Non est superstitio uti virgâ saliceâ, vel amygdalina ad inveniendas aquas in terra latentes, imò ad inveniendas fodinas metallorum; id enim fieri cernimus à certis hominibus sub certo signo cœlesti natis; quin tamen ullum cum

Dæmone pactum, vel explicitum, vel implicitum fecerint. Sed non idem dicendum de his, qui quosvis thesauros aconditos à Dæmone, ut dicunt, custoditos jactitant se inventuros, ibi enim est superstitio, ut infra dicetur.

CONSECTARIUM IX. Non est superstitio adhibere herbas, lapillos, &c. ad sanitatem inducendam, morbosque depellendos; quia possunt habere talem vim naturalitèr, licèt nobis incognitam: nec statim conjicienda est superstitio, modò nihil sit ridiculum in precibus, & si quid sit ridiculum, debet emendari.

Consectaria hujus Doctrinæ.

De his, in quibus est superstitio.

CONSECTARIUM I. Superstitio divinatoria est sperare cognitionem futurorum aliundè, quàm à Deo; quia solus Deus est, qui cognoscit futura. *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.* Isai. 41. v. 23.

CONSECTARIUM II. Superstitio artis notoriæ est sumere potionem, vel bolum, vel deferre ligaturam, ut repenti fias doctus; quia *hæc non habent secundum se virtutem causandi scientiam*, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 96. a. 1. In corp. Deus enim est, qui scientiam infundit juxtà illud, *Deus scientiarum Dominus est.*

CONSECTARIUM III. Superstitio est deferre ligaturas, ut fias invulnerabilis, in-

vulnerabilis , invisibilis , impenetrabilis ; quia hæc non habent virtutem ad inducendum talem effectum : *Stupentes enim illi effectus à solo Deo provenire possunt.* D. Thom. *ibid.* a. 2. ad 1.

CONSECTARIUM IV. Superstitio vanæ observantiæ est habere dies alios tanquàm faustos , alios tanquàm infaustos ; quia dies non possunt inducere infortunium : & variæ illæ observantiæ ut loquitur D. Thom. *Videntur esse quædam reliquie idololatriæ , secundum quam observabantur auguria , & quidam dies fausti , vel infausti.* 2. 2. q. 96. a. 3. in corp.

CONSECTARIUM V. Superstitio vanæ observantiæ est deferre imagines astronomicas , Gallicè *talismans* , ex ære , vel plumbo , vel auro , vel ex alia materia confectas cum ignotis characteribus , expectando insolitos effectus ab illis , quia *totum hoc* , inquit August. *Perinet ad Dæmones ludificatores animarum sibi met subditarum.* Lib. 10. de civitate Dei cap. 11. & juxtà D. Thom. *Imagines , quas astronomicas vocant , ex operatione dæmonum habent effectum ; cujus signum est , quod necessarium est eis inscribi quosdam characteres , qui naturalitèr ad nihil operantur.* 2. 2. q. 96. a. 2 ad 2.

CONSECTARIUM VI. Superstitio est adhibere preces aliquas , quibus tu , vel animalia tua sanentur , nisi preces illæ sint ab Ecclesia approbatæ ; quia , ut ait Hilarius , in hæc verba psal. 64. *Te decet hymnus , Deus in Sion : Vota tantum Ecclesiasticæ Religionis nilia sunt , quæ cum & dignis Deo cantioni-*

bus, & propositæ in Ecclesia observantiæ studio probantur. . . . Idè Concilium Bivurcense. an. 1584. Juret ne prætextu pietatis ulli exorcismi fiant, nisi qui ab Ecclesia probati sunt. Tit. 4. Can 3.

CONSECTARIUM VII. Superstitio est deferre res aliquas nominibus aliquibus ignotis insignitas: talia sunt *bai. gloi. &c.* Et alia hujusmodi ridicula: hæc enim habent vim inducendi effectus qui expectantur.

CONSECTARIUM VIII. Superstitio est deferre Rosarium, Scapulare & alia sacrum fraternitatum insignia, si ea credulitate gerantur, quod numquam damnabuntur, qui ea ferunt; vel quod in mortis articulo sinceram poenitentiam agent, quamvis toto vitæ curriculo poenitentiam neglexerint, contenti externis fraternitatum illarum insignibus; quia hæc insignia non habent virtutem inducendi talem effectum. Idè Concil. Cameracense an. 1565. ait: *Abominandam esse eorum vanitatem ac superstitionem, qui certò pollicentur, non ex hac vitâ migraturos sine poenitentia & Sacramentis, illos, qui hunc illumve ex vivis coluerint, qui securitatem in rebus gerendis, fortunæ certum ac optatum eventum, iisdem promittunt, & si quæ alia hujusmodi proferantur & credantur. . . . Præscriptaque missarum formâ aut precum affirmant certas designatasque animas semper è purgatorio liberari.*

PROPOSITIO II. Quoties stupendus aliquis effectus contingit, non statim temerarie pronuntiandum est superstitiosum esse; quod agitur; sed prudenter omnia sunt examinanda.

Probatur. Multi sunt mirabiles & stupendi effectus, quos rude & imperitum vulgus in magiam refundit, qui tamen diligenter inspecti à causis merè naturalibus procedere dignoscuntur; ut fusè probari potest ex libro qui scribitur, *magia Schoti*, ubi stupendi effectus recensentur à causis merè naturalibus procedentes, qui tamèn videntur non ab alio quàm à dæmone posse provenire; nè ergò confessarii errent hac in parte, nihil determinandum est præcipiti iudicio, sed omnia prudenti examine ponderanda sunt.

MONITA

Quibus determinatur, quid agendum tam à Confessario, quàm à pœnitente, cum præsumitur superstitio.

MONITUM I. Si adhibeantur causæ naturales, consulendi sunt Medici, & Physici, ut ab ipsis sciatur, an causæ adhibitæ vim naturalem habeant inducendi effectum, qui inspicitur evenire? Si causæ adhibitæ vim habeant naturalem producendi illum effectum, non est superstitio.

MONITUM II. Si adhibeantur preces, consulendi sunt Doctores Theologi, ut sciatur ab illis an preces illæ sint conformes, vel diffformes universalis Ecclesiæ ritui? Si preces nihil habeant diffforme Ecclesiæ ritibus, non est superstitio.

MONITUM III. Si nec Philosophi nec Theologi consuli possunt, & interim urgeat necessitas adhibendi aliquid, quod superstitiosum videri potest: qui rem illam insoli-

tam aggreditur, debet fufis ad Deum precibus proteftari, fe nolle ullum habere cum Dæmone commercium.

MONITUM IV. *Circa personas interrogandas.*

Hi omnes, quos hîc fubjicio funt in terrogandi circâ fuperftitionem; quia vulgò adhibent remedia, in quibus fæpius latet fuperftitio.

1°. Paftores, qui certas adhibent caufas, ut pecora fervent à lupis, à fcabie, &c.

2°. Fabri ferrarii, qui infolitis utuntur mediis, ut fanent pecora.

3°. Vetulæ, quæ paritur²⁵ circa mulieres, vel parturientes, vel matricè, ut dicunt, laborantes, infolita adhibent remedia.

4°. Imperiti Medici, qui ftupenda jactitant remedia.

5°. Milites, qui deferunt fecum obfcura nomina, ut fiant invulnerabiles.

6°. Hi omnes, qui ftupendum quid jactitant, vel in ferendis ponderibus, vel in itineribus celerrimè conficiendis.

MONITUM V. *Circa modum interrogandi pœnitentes in materia fuperftitionis.*

Personæ fufpectæ fuperftitionis ita interrogandæ funt, ut horrorem fuperftitionis concipiant; tanti verò vitii naturam non adifcant; & proinde.

1°. Videndum, utrum infolitum illud, quod peragunt, refundi poffit in caufas naturales; fi à caufis naturalibus procedere valeat, permitti debet: fi verò non nifi à Dæmone procedere poffit, debet prohiberi.

2°. Si conftet fuperftitiofum effe, viden-

dum an pactum expressum habuerint cùm Dæmone ? an solum tacitum.

3°. Si pactum cùm Dæmone expressè inierint, interrogandi an id fecerint ex ignorantia affectata, aut non affectata ? an ex malitia, v. g. ex odio contra Deum, vel proximum ? an ex curiositate ? an pactum obfignaverint, vel suâ manu, vel suo sanguine, vel alio quovis signo exteriori & sensibili ? an pactum habeant apud se, vel apud aliquem, qui illud custodiat ? debet ab illis exigi pactum, ut ei renuntient.

4°. Debent ab illis exigi libri, si quos habeant de illis arcanis tractantes : debent exigi characteres, & alia hujusmodi, & comburi ; vel ad Episcopum deferri, ut cùm peritioribus videatur, quid agendum.

ARTICULUS III.

De regulis ad dignoscendam superstitionem ex modo.

PROPOSITIO Unica. Totiès actus est superstitiosus ex modo, quotiès cultus Deo exhibitus ab Ecclesia reprobatur ; vel quia est falsus ; vel quia est superfluus.

Probatur 1°. Script. Matt. 18. v. 17. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Ergò cultus noster ergà Deum debet approbari ab Ecclesia : ergò si per eam reprobetur, debet censi superstitiosus, non ex objecto, cum Deo exhibeatur : ergò ex modo, quia exhibetur aliter, quàm debet exhiberi.

2°. Ex Aug. lib. I. de consensu Evangelistarum cap. 18. *Socratis sententia est unumquemquè Deum sic coli oportere, quo modo se ipse colendum esse præceperit*: Ergò, si Deus aliter colatur, quàm exigit, cultus ille debet censerì superstitiosus.

3°. Ratione. Deus exigit ab homine cultum religiosum, non qualemcumque, sed eum, quem Deus nobis revelavit & per Ecclesiam proponit, qui cultus debet esse in spiritu & veritate: ergò totiès cultus noster ergà Deum erit superstitiosus, quotiès pugnet contra Ecclesiæ determinationem: erit falsus, si per illum aliquid falsum significetur; erit verò superfluus, si non sit proportionatus gloriæ Dei, qui est finis cultus divini.

Consektaria hujus Doctrinæ.

CONSEKTARIUM I. Cultum falsum exercent hi, qui in exercitio Religionis aliquid falsum significant; quia præcipuum in cultu Religioso est veritas.

Sic juxtà D. Thom. 2. 2. q. 93. a. 1. in corp. *Perniciosum est uti ceremoniis veteris legis, quibus Christi mysteria figurabantur futura, sicuti etiàm perniciosum esset, si quis non confiteretur Christum esse passum.*

Sic, juxtà eundem D. Thom. Superstitiosum est falsa miracula proponere, falsas reliquias ostentare, sanctos nondùm canonisatos, ut loquuntur, venerari; sicuti falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicujus quæ non esset ei commissà. Ibidem.

CONSECTARIUM II. Cultum superfluum exercent, qui religionem statuunt in his exercitiis, quæ nec mentem ad Deum elevant, nec corpus Deo subjiciunt; quia finis divini cultus est, ut homo Deo det gloriam, eique se subjiciat, & mente & corpore.

Tales sunt cantus molles, qui interdum in Ecclesia audiri solent. Tales sunt choreæ, tripudia, & alia hujusmodi; quibus imperitum vulgus festis diebus indulget.

Tales sunt ceremoniæ ab hominibus excogitatæ; & non ab Ecclesia approbatæ; ut si dicatur bis alleluja, ubi non debet dici; aut si in missa fiat signum crucis, ubi non debet fieri, &c.

ARTICULUS IV.

Quale peccatum sit Superstitio vitiosa ex modo

PROPOSITIO II. Superstitio vitiosa ex modo, si inducat falsitatem, est peccatum mortale ex suo genere.

Probatur 1°. Ex Script. veritas est Deus juxta illud. Joan. 4. v. 24. *Ego sum via, veritas, & vita. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, oportet in spiritu, & veritate adorare.* Ergo cultus vitiosus continens falsitatem non proficit, sed officit, non salvat, sed damnat.

2°. Ex Ambros. *Paulus indignum esse dicit, qui aliter celebrat mysterium, quam à Christo traditum est.* In Epist. 1. ad Corinth. cap. 11. v. 27. Ergo si cultus ille indignos Deo nos efficiat, est peccatum mortale.

3°. Ratione. Mendacium perniciosum est haud dubiè peccatum mortale; cultus autem falsus est mendacium perniciosum; cum religioni noceat: ergo est peccatum mortale.

Consectaria hujus Doctrinae.

C O N S E C T A R I U M I. Peccarent mortaliter, qui modò colerent Deum ceremoniis Judaicis, quæ significabant Christum venturum; quippè legalia observata post veritatem Evangelii sunt mortifera; ut docet ex professo Aug. Epist. ad Hyeron. 82. alias 19. & Paulus ad Galat. 5. v. 2. Si circumcidamini; Christus nihil vobis proderit.

C O N S E C T A R I U M II. Peccant quoque mortaliter, qui vel falsis miraculis, vel supposititiis reliquiis verum Dei cultum promoveri quærent; quia veritas Dei nostris non eget mendaciis, & mendacium autem in materia religionis est maximè perniciosum, & proinde peccatum mortale.

C O N S E C T A R I U M III. Qui mutaret materiam, vel formam Sacramentorum, vel nollet adhibere ceremonias in Ecclesia usitatas, peccaret mortaliter. Hæc enim omnia, inquit Sylvius, cultum veri Dei aliqua falsitate commaculant, & sunt ex genere suo peccata mortalia; venialia tamèn, vel ob imperfectionem actus, vel ob ignorantiam.

P R O P O S I T I O II. Superstitio vitiosa ex modo, si cultum inducat superfluum tantum, peccatum est communiter veniale tantum; si absit contemptus & scandalum.

Probatut

Probatur 1°. Ex Aug. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 18. *Quisquis bonus, verusque Christianus est, etiam in litteris Sacris superstitiosa, idest superflua figmenta repudiet*: Ergò peccatum est, superfluum in cultu divino adhibere; non mortale quidem, ut satis indicant Aug. verba qui acrioribus verbis scelera prohibere solet.

2°. Ratione D. Thom. In cultu divino, absolutè loquendo, nihil potest esse superfluum; quia quidquid impendimus Deo, semper est minus eo, quod illi debetur; sed relativè potest esse superfluum, scilicet id omne quod, nè ex natura sua, nè ex Dei, Ecclesiæve institutione ad gloriam Dei ordinetur. Si quid autem superfluum, vel minus rectum in tali cultu observetur, quod nè scandalum aliis inducat, nec contemptum contineat, talis cultus, inquit Cajet. non est contrà, sed præter divinam reverentiam: ergò non est peccatum mortale, sed veniale tantum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccatur venialiter cum in missa, v. g. nimis anxie observatur certus numerus candelarum, certus imaginum situs, certus color absquè ordinatione Ecclesiæ.

CONSECTARIUM II. Cùm in horis Canonicis, vel in sacrificio, dicitur, Gloria in excelsis, Credo, Alleluya, cùm non est dicendum, vel omittitur; cùm est dicendum.

ARTICULUS IV.

*Quale peccatum sit superstitio vitiosa quoad
objectum?*

PR O P O S I T I O unica. Superstitio vitiosa quoad objectum est de se peccatum mortale.

Probatur 1°. Ex Script. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Et iterum soli Deo honor & gloria*: Ergò cum per superstitionem vitiosam ex objecto non Deus, sed creatura colatur sinè ordine ad Deum, hæc superstitio erit peccatum mortale.

2°. Ex Aug. qui loquens de magicis artibus ait: *Omnes igitur artes hujusmodi, vel nugatoriae, vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta quædam infidelis & dolosæ amicitiae constituta, penitus sunt repudiandæ.* Lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 203

3°. Ratione. Per talem superstitionem, aut exhibetur dæmoni honor aliquis, qui soli Deo debetur, aut saltem habetur cum inimico Dei, scilicèt dæmone aliquod commercium. Ergò est peccatum mortale.

Deinde talis superstitio est mendacium in materia religionis; quia significat aliquid contrarium veritati revelatæ, nimirum dæmonem aliquid posse invito Deo; mendacium autem in materia religionis est peccatum mortale; ergò & superstitio vitiosa ex objecto.

Conseſtaria hujus Doctrinae

Omnes species ſuperſtitionis vitioſæ ex objecto ſunt ex genere ſuo peccata mortalia. Itaque peccatum mortale eſt.

1°. Idololatria ; quia eſt cultus divinus creaturæ exhibitus.

2°. Divinatio ; quia eſt uſurpatio notitiæ divinae ope dæmonis.

3°. Vana obſervantia ; quia eſt expectatio eventus ope dæmonis eventuri.

4°. Maleficium ; quia eſt nocumentum proximi ope dæmonis procuratum.

5°. Magia ; quia eſt opus ſtupendum ope dæmonis præſtitum. Quod ut fuſius pateat, explicabuntur omnes ſpecies ſuperſtitionis ſequentibus articulis.

ARTICULUS V.

De Idololatria.

PROPOSITIO unica. Idololatria five factus, quo creatura tanquam Deus colitur, eſt peccatum mortale quocumque modo fiat ; quia eſt ſuperſtitio vitioſa ex objecto.

Probat 1°. Ex Scriptura. Deformitatem tanti vitii Scriptura ſatis ſignificat his verbis : *Foris canes, & venefici idolis ſervientes.* Apocalip. 22. v. 15. ergo eſt peccatum mortale, cum excludat à gloria.

2°. Ex Patribus. Crimen illud vocatur à

Tertulliano, *summus sæculi veatus*, à Nazianzeno, *extremum & primum malorum*, à Lactantio, *scelus inexpiabile*, à Synodo Illiberitana, *crimen capitale*: Ergo est peccatum mortale.

3°. Ratione. D. Thom. 2. 2. q. 94. a. 3. in corp. *Sicut enim*, inquit, *in terrena republica gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem regium alteri impendat, quam vero Regi; quia quantum in se est totum Reipublicæ perturbat ordinem; ita in peccatis, quæ contra Deum committuntur, quæ tamèn sunt maxima, gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem divinum creaturæ impendat; quia quantum in se est, facit alium Deum in mundo, minuens principatum divinum.*

Quot modis committatur idololatria.

Idololatria committi potest tripliciter.

1°. Ignorantè; ut cùm quis credit creaturam esse Deum; sed talis ignorantia non excusat à peccato; quia talis ignorantia, & potest, & debet vinci. *Vani enim sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Sap. 13. v. 1.

2°. Scientè, & malitosè; ut cùm quis adorat creaturam in odium Dei, & hoc culpabiliter; quia debet illud odium deponere, cùm nulla causa sit odio habendi Deum. Juxtà illud: *Odio habuerunt me gratis.* Joan. 15. v. 25.

3°. Simulatè exterius solum, & non interius; ut cum quis adorat falsum Deum exterius, execrans interius illum cultum superstitiosum, imò cupiens cultum omnem

ad verum Deum ordinari; sed hæc simulatio est lethalis; quia, ut docet D. Thom. *Externus cultus est signum interioris; sicut est perniciosum mendacium, si quis verbis asserat contrarium ejus, quod per veram fidem tenet in corde; ita est perniciosa falsitas, si quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id, quod sentit in mente.* 2. 2. q. 94. a. 2. in corpore. Nam, ut ait Tert. de idolat. cap. 22. *Negat quicumque dissimulat in quacumque causa pro ethnico habitus.*

Di his qui sunt quasi idololatræ.

Ad idololatræ reduci possunt.

1°. Heretici, qui novas opiniones in fide, vel in moribus, periculosas excogitant, eisquè pertinacitèr adhærent: etenim, inquit Hieron. *Sicut idola fiunt manu artificis, ita hereticorum perversa Doctrina, quodcumquè simulaverit, veritè in idolum, & facit pro Christo adorari Antichristum.* In cap. 13. Zachar. Tunc enim nova illa opinio est quasi Deus recentèr excogitatus, & quasi novum idolum in mente erectum, & adoratum.

2°. Parentes, qui filios suos ardentius, quàm par est, depereunt, quibus exprobari potest, quod Heli dictum est. *Honorasti filios tuos magis quàm me: Idololatræ sunt parentes, qui filios vitiosos non castigant. Ejusdem criminis rei sunt, qui mortuos filios; aut parentes, magis quàm par est, lugent; acerbis enim ille luctus originem dedit idololatræ. Accendo enim luctu, pater rapti citò sibi filii fecit imaginem.* Sapi. 14. v 15.

3°. Avari, qui thesauris suis impensius adhærent. *Argentum suum, & aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent.* Ozeæ cap. 8. v. 4. *Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide.* I. ad Tim. cap. 6. v. 10.

4°. Gulosi, quorum Deus venter est, ut loquitur Paulus ad Philip. 3. v. 9. Et qui Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, ut loquitur idem Paul. ad Rom. 16. v. 18.

5°. Impuris amoribus irretiti. 1°. Quia semper suos amores cogitant, rarissime autem Deum in mente habent. 2°. Quia corpus suum offerunt voluptati, quod Deo offerre debuissent. 3°. Quia ex se ipsis Deum ejiciunt per pravam libidinem; homo enim est templum Dei. 4°. Quia faciunt membra sua, quæ sunt membra Christi, membra meretricis. 5°. Quia sicuti Adrianus crucem salvatoris dejecit, & in loco crucis erexit statuam Adonidis; ita impudici illi amotores è corde suo crucem ejiciunt, eiquè Venerem, vel Adonidem substituunt.

ARTICULUS VI.

De Divinatione.

PROPOSITIO unica. Divinatio, sive actus, quo tacite, vel expresse Dæmon invocatur, ad cognoscendum res, quæ naturalitè cognosci nequeunt, y. g. futura contingentia, actus liberos, &c. Est peccatum mortale; quia est cultus superstitiosus

ratione objecti; solus quippè Deus cognoscit futura contingentia, & actus liberos, juxta illud Reg. cap. 16. v. 7. *Homo videt ea, quæ parent, Deus autèm intuetur cor.* Quàm grave peccatum sit divinatio.

Probatur 1°. Scriptura. Deut 28. *Non inveniatur in te, qui Ariolos sciscietur; nèc qui Pythones consulat, nèc Divinos; nèc querat à mortuis veritatem; omnia enim hæc abominatur Dominus.*

2°. Ex Conciliis. Synodus Romana secunda an. 721. sub Greg. 2. Can. 12. ait: *Si quis Ariolos, aruspices, incantatores observaverit, aut philaeteriis usus fuerit; anathema sit & responderunt omnes tertio; anathema sit.*

3°. Ratione. D. Thom. Omnis, inquit, divinatio ex operatione demonum provenit, vel quia expressè demones invocantur ad futura manifestanda, vel quia demones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate, 2. 2. q. 95. a. 2. Nulla autèm, ut optimè addit idem Doctor. utilitas temporalis potest comparari detrimento spiritualis salutis, quod imminet ex inquisitione occultorum pèr demonum invocationem.

Quot modis demon expressè invocetur, in ordine ad divinandum.

Dæmon invocatur expressè, quandò rogatur, ut sensibilitèr appareat ad docendum rem, cujus cognitionem peroptamus.

1°. Apparet Dæmon per præstigium, perfringendo oculos, ostendendo quod est absens quasi præsens. Ità fecisse præstigiato-

310 MORALIS CHRISTIANA
res Pharaonis multi credunt, dùm projecti
ab ipsis baculi serpentes exhibebant Exod. 7.
v. 11.

2^o. Apparet Dæmon per somnium, com-
movendo phantasmata & ostendendo, quod
vult edocere. De diabolicis somniis ità scrip-
tum est: *Non augurabimini, nèc observabitis
somnia.* Lev. 19. v. 26. Quod ut pateat;
sciendum multiplex esse somnium, scilicèt
naturale, Divinum, & diabolicum.

Somnium naturale est illud, quod prove-
nit à causa naturali, vel intrinsecà; quales
sunt humores; vel extrinsecà; qualis est aër,
& aëria corpora ambientia. Credere somnio
naturali, non est malum; medici quippè
possunt ex somniis naturalibus morbos dig-
noscere, & cordis affectus conjicere.

Somnium divinum est illud, quod prove-
nit à Deo, aliquid absconditum manifes-
tante.

Tale fuit somnium Abimelech, in quo
vidit Saram conjunctam esse matrimonio cùm
Abraham. Gen. 20.

Tale fuit paritèr somnium Pharaonis,
quo Deus septem vaccis pinguibus, & to-
tidem macilentis, septem spicis aridis, &
plenis totidem, docuit septem annos steri-
les, septem annis fœcundis successuros.
Gen. 41. Credere somnio divinitus immisso,
nedum illicitum, quònimò necessarium,
juxtà illud: *Si quis fuerit intèr vos Prophe-
ta Domini, in visione apparebo ei, vel per som-
nium loquar ad illum.* Num 12. 6.

Cùm verò difficillimum sit distinguere,
intèr somnium divinum & diabolicum; me-

lius est nunquam credere somniis ; nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio. *Ne dederis in illis cor tuum ; multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.* Ecclesi. 34. v. 6. Quod præcipuè contingit, ut optimè monet Cajet. verbo, *Somnium, dum paulatim tantum homo credit somniis, ut somniis utatur, pro regulis suarum actionum, ut pro iis, aut omittat, aut committat contra aliquid, ad quod tenetur.*

3°. Apparet dæmon in corporibus mortuis, agitando corpus mortuum, & per illud ostendendo, quod vult ostendere. Talis fortè fuit visio, in quâ Samuel mortuus Saüli morituro apparuit operatione magica. I. Reg. cap. 28. v. 11. Iste quippè Samuel, qui Saülem allocutus est, non erat verus Dei Propheta. 1°. Quia animæ justorum non subjacent operationibus magicis, nèc sunt in potestatè diaboli. 2°. Quia dixit impio Saüli, *cràs tecum eris* : Saül autèm non abiit in sinum Abrahamæ, ubi erat Samuël, sed abiit in infernum.

IV. Apparet. Dæmon per elementa, imprimendo elementis varias figuras, quibus significat, quod vult ostendere. Apparet autem modò in igne, modò in aère, modò in aqua, modò in terra. Apparitio in igne vocatur Pyromantia ; in aère, Acromantia ; in aqua Hydromantia ; in terra Geomantia : uti autem illis apparitionibus, eisvè credere illicitum. *In omnibus ergò istis Doctrinis societas demonum formidanda est, atque vitanda, ut loquitur Aug. lib. de Doct. Christ. cap. 23.*

Quot modis Dæmon implicite invocetur in ordine ad divinandum.

Dæmon invocatur implicite, quandò assumitur aliquid in ordine ad sciendum futura libera, quod nec ex naturâ suâ, nec ex institutione Dei, potest nos ad incognitum deducere. Et hoc fit multipliciter. Per Astrologiam, per Chyromanciam, per Auguria, per Sortes, de quibus sigillatim.

PROPOSITIO I. Divinatio per Astrologiam judiciariam, quâ quis utitur astris ad cognoscenda futura libera, est gravissimum peccatum.

Probatur 1^o. ex Scripturâ ita loquente: *à signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes; quia leges populorum vanæ sunt.* Jerem. x. v. 2. Ergò scriptura, inquit Duhamel, hic damnat Genethliacos, qui vi siderum omnia putant gubernari.

2^o. Ex Patribus, qui passim diabolicam hanc artem condemnant. De ea ita loquitur Ambr. lib. 4 Examer. cap. 4. *Nonnulli natiuitatum tentaverunt exprimere qualitates; qualis futurus sit unusquisque, qui natus sit; cum hoc non solum vanum, sed etiã inutile sit quærentibus, impossibile pollicentibus.* Et Aug. lib. 2. Doct. Christ. cap. 22. *Ex ea notatione velle nascentium mores, actus, eventa prædicere, magnus error, & magna dementia est.*

3^o. Ex Conciliis. Concilium enim Toletanum I. sic habet Can. 15. *Si quis Astrologiæ, vel Mathejs existimat esse credendum, Ana-*

thema sit. Idem habet Mediolanense, Rheimense, Burdigalense, Narbonense, Tolosanum, & constitutio Sixti V. quæ incipit *cæli & terræ.*

4°. Demum autoritate & ratione D. Tho. Si quis, inquit, *consideratione utatur Astro- rum, ad præcognoscendos futuros casuales vel fortuitos eventus, aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum, procedit hoc ex falsa, & vana opinione; & sic operatio demonis se immiscet; undè erit divi- natio superstitiosa & illicita.* 2. 2. q. 95. a. 5. in corp. & cum ibi Dæmon se immisceat, peccatum erit mortale.

Conseclaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Peccant mortali- ter juxtà Cajetanum, qui ità insistent Astro- rum observationi, ut res tum præteritas, tum præsentis, tum futuras ad Religionem pertinentes, in ipsa Astra refundant. Hoc enim est, inquit ille Autor, contra spiritua- litatem Christianæ Religionis, quæ super Cælos est, potens ipsos cælorum cursus im- mutare, minimè verò ab ipsis tantisper con- tucti, juxtà id, quod scriptum est; *Confessio ejus super cælum & terram,* & quidem expe- rientiâ teste non ab influxu cælorum depen- det Christiana Religio, sed quæcumque in mundo fieri cernimus, hæc omnia Christianæ intersunt Religioni: impiissimi enim Chris- tiani nominis persecutores, dum serviunt cupiditati, famulantur Religioni, sanguisque Martyrum, quos occidunt, fit semen Chris- tianorum.

CONSECTARIUM II. Peccant & quidem mortaliter juxtà eundem Cajetanum, qui insistent astrorum observationi, ut hinc certò velint conjicere futura contingentia, actusque liberos; hoc enim est contrà veritatem fidei, quâ certi sumus hominem liberi esse arbitrii, & quâ conscii sumus actus nostros liberos influxibus astrorum minimè subjacere.

CONSECTARIUM III. Peccant quoque mortaliter, inquit Cajetanus, qui ità observationi astrorum insistent, ut actiones suas dirigant secundùm cœlorum motus, varialesque astrorum vices, quasi pro lege habeant; Christiani enim non aliam debent legem agnoscere, quàm fidem, juxtà illud: *Justus meus ex fide vivit*; Sicuti enim, inquit idem Cajetanus, erramus subjiciendo nos passionibus iræ, odii, spei, timoris, aliosque impetus passionum pro lege habentes; ità erramus turpiter, si impressiones cœlorum pro lege habeamus; corpora enim sunt, quæ per modum passionum inclinant nos.

PROPOSITIO II. Divinatio per Chiromanciam, quâ quis utitur lineamentis, quæ sunt in corpore hominis, ut quid sit ei eventurum certò pronunciet, est omninò illicita.

Probatur 1°. Scripturâ, quæ prohibet nos ab alio, quam à Deo futura inquirere. *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis sciscitemini futura, ut polluamini per eos.* Lev. 19.

2°. Ex constitutione Sixti V. quæ incipit, *cœli & terræ*, ubi sic habetur: *cum futuros eventus in se ipsis considerare, antequam fiant*

fiat, fit proprium Dei, dum quis quocumque modo præsumit illa prænuntiare, fit, ut Divina majestas graviter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus exitium importetur.

3°. Ratione. Sarrisberiensis lib. 2. de nugis curialium cap. 27. qui sic loquitur: chiro-mantici vera, quæ in rugis manuum latent, se nosse gloriantur, quorum errorem, quia ratione non nititur, non necesse est rationibus impugnare, licet eo ipso illos expugnet ratio, quod deficiunt ratione.

4°. Ratione D. Thom. Lineamenta manuum nullam habent connexionem necessariam cum futuris, quæ prænunciantur: Ergo ïis uti non possumus ad prænuncianda futura.

Consektaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Peccant, & quidem mortaliter illusores illi homines, qui horoscopos faciunt, & jactitant se ex lineamentis corporis certò cognoscere, quid cui-libet eventurum sit; quia artem illam exercere non possunt, quin aliquod cum Dæmone habeant commercium, ignaramque plebem decipiant: utrumque autem ingens malum est. Divinationem fieri ope Dæmonum testis est Origenes. Homil. 16. in numeros. *Est quedam, inquit, operatio Dæmonum in ministerio præscientiæ quæ artibus quibusdam ab his, qui se Dæmonibus manciparunt, nunc per sortes, nunc per auguria, nunc ex contemplatione umbrarum, comprehendì videtur: Hæc autem omnia operatione Dæmoniorum fieri non dubite.*

CONSECTARIUM II. Peccant, qui Ægyptios de fortunâ consulunt, & quidem mortaliter, si id fiat cum firma fide, & cum scandalo, juxtâ illud Script. Levit. 20. *Anima, quæ declinaverit ad Magos & Ariolos, quales sunt vulgo illi, qui ex lineamentis volunt certò actus liberos conjicere; & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi sui* Si tamen id fieret sine scandalo, & ex risu solùm, non esset peccatum mortale; quia fides non adhibetur vanis illusionibus.

PROPOSITIO III. Divinatio, quæ fit per auguria, per virgas, per annulos, per cribrum farinarium, &c. est peccatum mortale.

Probatur 1°. Script Ecclis. 34. v. 5. *Divinatio erroris, & auguria, mendacia, & somnia malefactorum vanitas est: Ergò vanum est fidem illis adhibere; & quia ibi latet pactum cum Dæmone, ibi est peccatum mortale.*

2°. Ex Cyrillo Hierosoly. primâ Catechesi Mistagogicâ, ubi sic habet: *Auguria, divinationes, omnia, amuleta, aut inscriptiones in foliis, aut aliæ male artes, & cætera hujusmodi, cultus Diaboli sunt: Ergò cum importent cultum Dæmonis sunt peccata mortalia.*

3°. Ratione Basilii in cap. 2. Isai. ubi sic loquitur: *A morum probitate est alienum prorsus eum, qui penes se habet consultationem Dei justificationibus, ad discernendum de rebus agendis, sibi in consiliarios adhibere brutas*

animantes ; immò ne his quidem tamquam consiliariis uti, sed ut Doctoribus & Legumlatoribus.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Peccatur, & quidem mortaliter, quoties vanis auguriis plenâ fide credimus, eisque tamquam regulâ agendi utimur: quippe, ut ait Basilius *ibid. olim Mosaicâ lege istiusmodi auguria, divinationes; ominationes, atque auspicia infamiâ notabantur, tamquam inventa Dæmonum: Ergò qui his utitur tamquam regulâ agendi, fovet cum Dæmone commercium: Ergò peccat mortaliter.*

Sic à gravi peccato non sunt immunes, qui certo credunt, & pronuntiant sibi infauſta obventura, si Sacerdos, Monachus, virgo, lepus, bufo, aut serpens occurrerit; si corvus supra domum crocitaverit, aut pica ad sinistram volaverit; si in mensa sal effusum fuerit: Hæc enim omnia & similia, ut ait Aug. lib. de Doct. Christ. cap. 24. *Plena sunt pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, & mortiferæ servitutis.*

CONSECTARIUM II. Graviter peccant, qui virgis utuntur divinatoriis, annulis, cribro farinario, &c. ad detegendum furem occultum, homicidam incognitum longè distantem, ad cognoscendam virginitatem puellæ, ad cognoscendum futurum sponsum, &c. Hæc enim omnia fieri nequaquam possunt sine implicito, vel explicito cum Dæmone commercio.

De divinatione per Sortes.

Nota, quod ex D. Tho. 2. 2. q. 95. a. 8. in corp. *Sortes propriè dicuntur, cum aliquid fit, ut ejus eventu considerato, aliquid occultum innotescat.* Undè sortes juxta D. Th. pertinent ad divinationem.

Sors est triplex, divisoria, consultoria, divinatoria.

Sors divisoria est, quandò quæritur, quid cuilibet sit exhibendum.

Sors consultoria est, quandò quæritur, quid in arduo aliquo negotio sit agendum.

Sors divinatoria est, quandò quæritur, quid sit futurum.

PROPOSITIO I. Uti sortibus non est ab intrinseco, & ex naturâ suâ malum.

Probat^{ur} 1°. Script. Multi sancti homines usi sunt sortibus, nec factum illorum reprehenditur. Josue ex enim præcepto ^{Dei} ~~Dei~~ sortium crimen Achan cognovit. Josue 7. Mathias sorte ab Apostolis electus est. Act. 1. Ergò uti sortibus non est ab intrinseco malum

2°. Ex Aug. in Psal. 30. *Sors non est aliquid mali. . . nam & sortes miserunt Apostoli.* & lib. 1. de Doct. Christ. cap. 28. ait: *Si tibi abundaret aliquid, quod oporteret dari ei, qui non haberet, nec duobus posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentiam, vel ergà te aliquà necessitudine superaret, nihil justius faceres, quam ut sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari utrique non potest.*

3°. Ratione. Usus sortium adhibitus in certis circumstantiis nullam virtutem violat, nulli legi oponitur: Ergò non est peccatum.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Sors divinatoria non est illicita, quoties ex speciali instinctu adhibetur, & non ab alio expectatur, quam à Deo, cognitio futuri. . . . Talis fuit usus sortium factus à Josue, & ab Apostolis.

CONSECTARIUM II. Sors divisoria est licita, quoties urgente necessitate adhibetur prudenter, justè & religiosè. Sic, inquit Aug. Epist. ad Honor. 180. quandò aliter disceptatio fieri non potest, & cum omnia sunt utrique æqualia; sorte eliguntur Sacerdotes, qui debeant manere in Ecclesiâ, & ministrant fidelibus, dùm sævit tyrannus. Dùm verò pestis grassatur, sorte eliguntur Medici, qui debeant manere in urbe, ut ministrant civibus. Dùm sævit fames, sorte determinatur, qui pauperes in urbe sint nutriendi, qui ejiciendi ex urbe, cum omnes simul nutriri non possunt. Cum verò multi damnati sunt ad mortem, sorte determinatur, qui sint liberandi, qui verò puniendi, cum omnes liberari non possunt.

CONSECTARIUM III. Sortes consultoriæ sunt aliquandò licitæ. Ità Sylvius in D. Thom. 2. 2. q. 95. a. 8 Sortes consultoriæ tunc sunt licitæ, inquit, quandò Deus inspirat esse illis utendum, veluti in detegendo Achan. . . Videtur idem licere in casu magnæ necessitatis, quandò super re necessario agen-

dâ humanum iudicium non sufficit, si serventur sequentes conditiones. 1°. Si adhibeatur debita reverentia ad Deum. 2°. Si servetur modus proportionatus, v. g. non utendo sacris ad temporalia. 3°. Si non fiat sortitio pro beneficiis, quæ per electionem conferri debent.

PROPOSITIO II. Uti sortibus est per accidens peccatum, quoties virtus aliqua vel Moralis, vel Theologica violatur; & peccatum est tantò gravius, quantò excellentior est virtus, cui opponitur v. g. peccatum erit veniale, si violetur sola prudentia; mortale, si violetur iustitia, Religio, &c.

Probat. Actus de se indifferens fit peccatum ex oppositione ad virtutem; Bonum enim ex integrâ causâ, malum ex quocumque defectu: Ergò usus sortium de se indifferens, fiet illicitus ex oppositione ad virtutem.

Consektaria hujus Doctrinae.

CONSEKTARIUM I. Usus sortium est illicitus, si passim & temerè adhibeatur; violatur enim prudentia. Ità Aug. Epist. 119 ad Januarium cap. 20. *Illa mihi displicet consuetudo, ad negotia secularia, & ad vite hujus vanitatem divina oracula velle convertere.*

CONSEKTARIUM II. Usus sortium est illicitus, si contrà formam juris adhibeatur; quia violatur iustitia v. g. si in præmiis distribuendis, in pœnis infligendis recurratur ad sortes, cum aliter, quàm per sortes jus cuiuslibet reddi potest, vel cum partes non sunt omninò æquales.

CONSECTARIUM III. Usus sortium est illicitus, cum adhibetur contra leges; quia actio de se indifferens fit illicita, si prohibeatur per legem. Sic peccatur, si in electionibus Ecclesiasticis, quæ ex Spiritu Sancti inspiratione debet fieri, aliqui sortibus utantur; hoc enim prohibetur cap. Ecclesia de sortilegiis.

CONSECTARIUM IV. Usus sortium est illicitus, quoties non adhibetur religiose; quia violatur Religio v. g. si eventus, qui inquiritur, expectetur à dispositione stellarum, *actus enim hominum dispositioni stellarum non subduntur* inquit D. Tho. 2. 2. q. 95. a. 8. si ad sortes recurratur absque necessitate; quia *hoc videtur ad tentationem Dei pertinere* D. Tho. ibid. Si in necessitate hoc fiat absque reverentiâ, v. g. non fufis ad Deum precibus. Undè Beda relatus à D. Tho. *Si qui necessitate aliquâ compulsi, Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum videant hoc ipsos Apostolos, non nisi collecto fratribus cœu & precibus ad Deum fufis egisse*

PROPOSITIO III. Divinatio per sortes, quæ non fit expresso Dei jussu, uti aliquando factum vidimus in Scripturâ, sed quæ fit ex curiositate cognoscendi futura, est peccatum ex suo genere mortale.

Probatur 1^o. Script. Osée 4. v. 12. loquens de sortibus divinatoriis, quibus utebantur Judæi ad cognoscendum futura, ait: *Populus meus in ligno suo interregavit. & baculus ejus annuntiavit ei: Spiritus enim fornicationis, id est diabolus, decepit eos, & fornicavit.*

ti sunt à Deo suo. Fornicari autem à Deo, est ab illo recedere, & peccare mortaliter; ergò divinatio per sortes est peccatum mortale.

2°. Ex jure Canonico Can. *Sortes* 25. q. 5. ubi sic habetur: *Sortes, quibus cunctavos in vestris discriminatis judiciis, quas patres damnarunt, nihil aliud, quàm divinationes, & maleficia decernimus . . . Et ne exerceantur, sub anathematis interdicto prohibemus.* Ergò si fors divinatoria sub pœna anathematis prohibeatur, est peccatum mortale.

3°. Ratione. Sortes divinatoriæ v. g. taxillorum projectio & dispositio, sagittarum aut palearum commixtio, ad cognoscendum futurum, v. g. quis sit obtenturus victoriam, quis sit futurus sponsus &c. Ea, inquam, omnia; neque ex natura rei, neque ex Dei, vel Ecclesiæ instituto inserviunt rei futuræ cognoscendæ. Ergo sunt medium improporionatum; ergò si hinc habeatur futuri cognitio, hoc fit ob tacitam Dæmonis invocationem; permittit enim aliquando Deus, ut Dæmon invocatus per sortes futura nobis patefaciat, uti olim patefecit Diabolus futurum Regi Babiloniæ, ut refert Ezechiel 21. v. 21. *Stetit, inquit, Rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem querens, commiscens sagittas, interrogavit idola, exta consuluit, ad dexteram ejus facta est divinatio super Jerusalem.* Ergò si in divinatione per sortes consulatur Dæmon, vel implicite, vel explicitè divinatio per sortes est peccatum mortale.

Conseſtaria hujus doctrine.

CONSECTARIUM I. Peccant, & quidem graviffimè, qui fortibus divinatoriis conantur addiſcere, quam compartem in matrimonio habituri ſint, ibi enim ſemper immiſcetur Dæmon in uſu illarum fortium.

CONSECTARIUM II Peccant item graviffimè hi, qui fortibus divinatoriis tentant cognoſcere, an futuri ſint felices vel infelices in eis negotiis, quæ ſuſcipiunt; à Deo enim & non à fortibus expectandus eſt fauſtus rerum noſtrarum ſuceſſus.

CONSECTARIUM III. Peccant quoque graviffimè milites, qui fortibus divinatoriis nituntur addiſcere, an incolumes ab hoſtibus evaſuri ſint; à ſolo Deo & non à fortibus expectandus eſt felix bellorum eventus.

ARTICULUS VIII.

De vana obſervantia.

PROPOSITIO unica. Vana obſervantia ſivè actus, quo aliquid obſervatur, quod nec ex naturâ ſuâ, nec ex Dei institutione vim habet inducendi effectum, qui expectatur, eſt peccatum ex ſuo genere mortale.

Probatur 1^o. Script. Gravitateſ hujus peccati demonſtrat Iſaias cap. 2. v. 6. *Projeciſti populum tuum, domum Jacob; quia repleti ſunt, ut olim, vanis nimirum obſervantiis, & augures habuerunt, ut habitatores*

Philistim. Deus autem non rejicit, nisi propter peccatum mortale.

2°. Ex Conciliis vana observantes excommunicantur. *His enim utentes observantiis anathemate Apostolica decreta percussos, ab Ecclesia pelli præcipiunt* ut loquitur Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum art. 79. Christiani autem non excommunicantur, nisi ob peccatum mortale.

3°. Ex Chrysost. qui Homil. 8. in Epist. ad Coloss. ait, quod vanis observantiis *Christus fuit ejectus; & introducitur Anus ebria & delirans; conculcatum est nostrum mysterium; & choros ducit fraus Diaboli.*

4°. Ratione. Per vanam observantiam expectatur aliquid, quod nec à Deo, nec à creatura provenit: Ergò illud à Diabolo expectatur; ergò habetur cum Diabolo commercium; ergò peccatur mortaliter.

Conseñtaria hujus doctrine.

C O N S E C T A R I U M I. Peccant mortaliter, qui utuntur arte notoriâ, quæ fit, cum quis ad acquirendam statim scientiam, utitur mediis ad illam causandam insufficientibus, certis v. g. figuris, vanis orationibus, jejniis, &c. De hac arte sic loquitur D. Thom. 2. 2. q. 96. a. 1. *Ars notoria est illicita & inefficax. Illicita quidem est; quia utitur quibusdam ad scientiam acquirendam, quæ non habent secundum se virtutem causando scientiam, sicut inspectione quarundam figurarum, & prolatione quorundam ignotorum verborum, & aliis bujusmodi, & ideo hujus-*

modi ars non utitur his, ut causis, sed ut signis, non autem ut signis divinitus institutis, sicut sunt Sacramentalia signa; unde relinquitur, quod sint supervacua signa, & per consequens pertinentia ad pacta quaedam significatorum cum demonibus placita, atque fœderata: & ideò ars notoria penitus est repudianda, & fugienda à Christiano, est etiam hujusmodi ars inefficax ad scientiam procurandam; solius enim Dei est scientiam infundere, & homines sine ullo studio Doctos efficere.

CONSECTARIUM II. Peccant mortaliter, qui utuntur observantiâ sanitatum, quod fit, cum quis media inania ad procurandam sanitatem adhibet, quæ media nihil vigoris habeant, nec ex naturâ suâ, nec ex divina promissione; ut si quis, v. g. quaedam vana carmina recitet, vanas imagines secum deferat, vanos ritus adhibeat ad mitigandum dolorem dentium, dolorem capitis, curanda animalia, sistendum sanguinem. Ad hanc observantiam videtur Paulus alludere, dum dicit 1. c. 10. v. 20. : *Nolo autem vos socios fieri demoniorum*, quippè, ut ait Aug. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 2. *Ad molimina magicarum artium pertinent omnes ligaturæ atque remedia, quæ Medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis (characteres vocant) sive in quibusdam rebus suspendendis, atque ligandis, vel etiam aptandis quodam modo non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significaciones aut occultas, aut etiam manifestas*. Et Chrysostomus Homil. 8. in Epist. ad Coloss. laudat mulierem, cujus infans, egro;

tavit, nec fecit amuleta. Reputatur ei ad Martyrium, inquit, mente enim sacrificavit filium, & maluit infantem videre mortuum, quàm pati idololatriam. Chrysoftomus quippe per Amuleta vana media intelligit, quibus utimur ad procurandam sanitatem, & quæ idololatriam nominat, quia non sine quâdam dæmonis invocatione adhibentur.

CONSECTARIUM III. Peccant, & quidem mortaliter, nisi ob simplicitatem rusticam excusentur, qui ita sunt addicti dierum, mensium, annorumve observationi; ut eam pro regula suarum operationum adhibeant: habent aliquos dies ut faustos, alios ut infaustos; negotia sua retardant, aut penitus omittunt juxta vanam illam, quam sibi fingunt dierum, mensium, annorumve differentiam.

Vanam illam observantiam reprobatur Apostolus his verbis: *Dies observatis & menses, & tempora, & annos; timeo vos ne forè sine causa laboraverim in vobis.* Ad Galat. cap. 4. v. 10. Locus enim ille juxta Aug. intelligi potest, & de Judæis, qui observabant ceremonias Moyfis, & de Gentilibus, qui observabant dies juxta morem Paganorum; quia, ut ait Chrysoft. Homilia in eos, qui novilunia observant. *Dies bonus, & malus est, non suâ quâdam & propriâ naturâ; nihil enim dies à die differt, sed nostrâ, vel diligentia, vel ignaviâ, si justitiam feceris bonus tibi dies erit; sin peccatum designaveris malus & supplicii plenus.* Et D. Thom. 2. 2. q. 95. a. 3. *Manifestum est omnes hujusmodi observationes supersticiosas esse, & illicitas,*

eitas, & videntur esse quædam reliquie idolatriæ, secundum quam observabantur auguria, & quidam dies fausti, vel infausi. Et Nicolaus I. Diei & horæ observationes, atquè auguria operationes diaboli sunt, quibus, Deo gratias jam in Baptismate abrenuntiaſtis. cap. 25. ad consult. Bulgatorum. Undè peccant, qui putant infausa esse matrimonia die Mercurii, mense Maii, &c. habita; qui nolunt die Sabati quædam opera facere; qui anxie observant, quo pede mane terram tangant, quid primò occurrat exeunti domo? an bestia? an homo? an animal bipes? aut quadrupes, & alias hujusmodi observantias adhibent ad rem, quæ expectatur, nihil omninò pertinentes.

ARTICULUS IX.

De Maleficio.

PR O P O S I T I O I. Maleficium, id est actus, quo ope Dæmonis nocemus proximo est peccatum mortale.

Probatur 1°. Ex Script. *Maleficos non patieris vivere, nec inveniatur in te, qui ariolos sciscitetur, & observet somnia atquè auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consultat.* Deut. 18. v. 10. Ergò cum Deus jubear maleficos occidi, maleficium est peccatum mortale.

2°. Ex jure Canonico & civili. *Si quis hæc, id est ligaturas, & maleficia, exercuerit, Clericus degradetur, Laicus anathematizetur.* Can. admoneant, caus. 26. q. 7. Jus ve-

rò civile ita loquitur : *Eorum est scientia puni-
nienda , & severissimis meritò legibus vindi-
canda , qui magicis accincti artibus , aut contra
salutem hominum moliti , aut pudicos animos
ad libidinem deflexisse detegentur.* L. multis de
maleficis.

3°. Ratione. Per maleficium homo habet
commercium cum Dæmone , & per malefi-
cium homo nocet proximo : ergò ex duplici
capite maleficium est peccatum mortale.
1°. Quia opponitur religioni. 2°. Quia op-
ponitur charitati.

Quot sint species maleficii.

Maleficium est multiplex.

1°. Maleficium amatorium , quo impurus
amor , vel injustum odium excitatur : hoc
enim potest Dæmon efficere ; non quidem
voluntatem directè cogendo ; quia voluntas
non potest cogi , sed objectivè , movendo ,
eique exhibendo ea , quæ vel amorem , vel
odium excitare possunt , de hoc maleficio
videtur loqui Baruch cap. 6. v. 42. *Mulie-
res autem , inquit , circumdatæ funibus in viis
sedent , succedentes ossa olivarum ;* ut scilicet
amorem vel odium excitarent , ut vulgò do-
cent Interpretes.

2°. Maleficium ligaminis , quo ità ligan-
tur conjugati , ut actum conjugalem exer-
cere non valeant. Hoc enim potest Dæmon
efficere , vel impediendo motum membrorum
ad generationem inservientium , vel inter-
ponendo corpus aliquod inter virum & mu-
lierem , de hoc maleficio. Can. *Si per sor-
titiaras.*

3°. Maleficium hostile, quo inducuntur morbi, vel hominibus, vel bestiis, quo occiduntur infantes antequàm recipiant Baptismum, &c. Hæc enim potest Dæmon operari, imprimendo motum corporibus, eos effectus inducentibus.

4°. Maleficium elementare, quo interturbantur elementa, & excitantur tempestates, & grandines, quod diabolo nequaquam est impossibile; quia corpora elementaria subjiciuntur Angelis quantum ad motum localem. De quo ita Justinianus Leg. 6. de maleficiis. *Muli magicis artibus usi, elementa turbare, vitam insontium labefactare non dubitant, & manibus accitis audent ventilare, ut quisquè suos conficiat malis artibus inimicos, hos quoniam naturæ peregrini sunt, feralis pestis absumat.* Et Beda ait: *Emissores tempestatum septem annis pœniteant.* In suo pœnitentiali. cap. 7.

PROPOSITIO II. Non licet maleficium, maleficio tollere.

Probatur 1°. Script. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut nec polluamini per eos; ego Dominus Deus vester.* Levitici. cap. 19. v. 31.

2°. Ex D. Thom. *Nullo modo debet aliquis Dæmonis auxilium per maleficia invocare.* In 4. dist. 34. art. 3. ad 3. Et facultas Parisiensis ait: *Errorem esse, quod licitum sit, & etiam permittendum, maleficia maleficiis repellere.* ann. 1498.

3°. Ratione. Cum maleficium sit ab intrinseco malum, non licet maleficium altero maleficio tollere, nec positivè, nec permis-

340 MORALIS CHRISTIANA.
sive cooperando, quæcumquè expectetur uti-
litas; quia non sunt facienda mala ut inde
veniant bona.

Consectaria hujus doctrine.

CONSECTARIUM I. Non licet roga-
re magum, ut tollat maleficium altero ma-
leficio, nec illud permittere, si sciatur,
vel dubitetur, quod sit usus maleficio:
Sic enim cooperaremur ejus maleficio.

CONSECTARIUM II. Licet uti preci-
bus Ecclesiæ, ad tollendum maleficium. Ita
habetur Canone, *si per sortiarias atquè male-
ficas, occulto, sed nunquam injusto, Dei judi-
cio permittente. & diabolo præparante, con-
cubitus non sequitur, hortandi sunt, quibus
ista eveniunt, ut corde contrito, & spiritu
humiliato Deo & Sacerdoti de omnibus pecca-
tis suis puram confessionem faciant, & profu-
sis lacrimis, & largioribus eleemosinis, & ora-
tionibus, atquè jejuniis, Domino satisfaciant;
& per exorcismos, ac cætera Ecclesiasticæ Me-
dicinæ munia, ministri Ecclesiæ, tales, quan-
tum Dominus annuerit, qui Abimelech, & do-
mum ejus, Abrahæ orationibus sanavit, sana-
re procurent.*

CONSECTARIUM III. Licet inventum
maleficium in contemptum, & detestationem
magiæ superstitionis comburere; quia hoc
non est communicare cum diabolo; sed ope-
ra ejus perdere; ita docet Rituale Roman.
*Illæ maleficiæ sunt extrahenda & comburenda,
dum dicitur psalmus, exurgat Deus, & dis-
sipentur inimici ejus. Et Deus Deut. 7. & 12.*

jubet omnia idololatriæ monumenta, aras, lucos, statuas penitus disperdi. Et Josias Rex, qui præceptum hoc diligenter & fideliter executus est, multum eo nomine commendatur. 4. Reg. 23. unde Joan. 1. Epist. 3. v. 8. ait: *In hoc apparuit filius Dei, ut dissolveret opera diaboli, scilicet peccata, & instrumenta peccatorum, artes scilicet magicas.*

Licitum pariter videtur maleficia destruere sub ea spe, quod nocumentum cessabit, modò spes in solo Deo statuatur, nec aliquid à Dæmone expectetur, *cujus beneficia, inquit Leo, sunt omnibus vulneribus nocentiora,*

ARTICULUS X.

De Magia.

PROPOSITIO unica. Magia diabolica, quâ ope Dæmonis fit aliquod stupendum, est peccatum mortale; minimè verò magia naturalis, quâ per artem fit aliquod stupendum, applicando, ut dicunt, activa principia passivis.

Probatur 1°. Script. Magia illa diabolica commercium aliquod cum Dæmonè supponit, ut innuit illud Isaïæ. *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* cap. 28. v. 15. Ergò est peccatum mortale.

2°. Ex jure Canonico. *Qui autem talibus, idest magicis operationibus, credunt, sciant se fidem Christianam & Baptismum prævaricasse.* Can. non observetis: Ergò magia diabolica est peccatum mortale.

3°. Ratione. Opus magicum, de quo loquimur, nec fit ope naturæ, nec ope Divina: ergò fit ope Dæmonis: ergò est peccatum mortale.

Magia est diabolica, quotiès opus præstitum excedit vim eorum corporum, quæ applicari possunt ab homine; quia insueti illi effectus aut à Deo, aut ab homine, aut à diabolo procedunt; non procedunt à Deo; quia non fiunt nomine Dei; non fiunt ab homine; quia homo non potest applicare, ut supponitur, hæc corpora; ergò fiunt à diabolo.

Talis fuit apparitio Samuelis facta Saùli. Talis fuit virtus Simonis magi, quâ decipiebat Samaritanos, ut habetur Act. 8. v. 9.

Magia est naturalis, quotiès opus præstitum non excedit vim eorum corporum, quæ possunt applicari ab homine; quia in illis operibus natura est principium: ars verò ministra.

CAPUT V.

De Irreligiositate.

Irreligiositas est irreverentia commissa, vel contra Deum, vel contra res Sacras.

Irreverentia contra Deum est tentatio Dei, perjurium, & blasphemia.

Irreverentia contra res Sacras est sacrilegium & simonia. De his agemus sigillatim, excepto perjurio & blasphemiâ, de quibus agemus, explicando secundum præceptum Decalogi.

ARTICULUS I.

De tentatione Dei.

Tentatio est actus, quo exploramus, an conveniat Deo aliqua perfectio, quæ reverà ei convenit, v. g. veracitas, bonitas, omnipotentia.

Tentatio Dei est duplex, formalis, & interpretativa.

Tentatio Dei formalis est, quandò quis expressè dubitans de aliquà Dei perfectione, eam experiri cupit, v. g. si quis peteret miraculum, ut fieret certus de veritate Divinæ revelationis.

Tentatio Dei interpretativa est, quando aliquis non expressè dubitans de Dei perfectione, aliquid tamen agit, quo Dei perfectionem videtur experiri, v. g. si quis in morbo nollet sumere medicinam vulgarem.

PROPOSITIO unica. Tentatio formalis, quâ quis expressè dubitat de aliquà Dei perfectione, est peccatum mortale.

Probatur 1°. Deuter. 6. v. 16. *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

2°. Ex D. Thom. *Tentare est experimentum sumere, nullus autem experimentum sumit de eo, de quo est certus, & idè omnis tentatio, ex aliquà ignorantia vel dubitatione procedit. . . . Ignorare autem, vel dubitare de his, quæ pertinent ad Dei perfectionem, est peccatum; undè manifestum quod tentare Deum ad hoc, quod ipse tentans cognoscat Deum*

344 MORALIS CHRISTIANA
virtutem, est peccatum. 2. 2. q. 97. a. 2.

3°. Ratione. Talis tentatio importat dubium de Dei perfectione, & dubium in rebus revelatis, est peccatum mortale: tentatio igitur Dei est peccatum mortale.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. Peccaret, qui peteret miraculum, ut confirmaretur in Christianâ religione; quia tale dubium est injuriosum Deo. *Generatio mala & adultera signum querit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetae. Math. 12. v. 9.* Jam enim post tot miracula præstita, sufficit Ecclesiæ testimonium & autoritas.

CONSECTARIUM II. Peccaret, qui daret se præcipitem è turri, projiceret se in flumen, ut experiretur an Deus sit omnipotens, vel misericors, ad eum liberandum; idè Christus Dæmone compellente noluit constitutus in templi pinnaculo se mittere deorsum, dicens Dæmoni: *Non tentabis Dominum Deum tuum. Deut. 6. v. 46.*

CONSECTARIUM III. Peccaret, qui vellet innocentiam suam probare duello, ferro candenti aquâ fervente, aliisque hujusmodi purgationibus, Nec obstat, quod olim viri pii hujusmodi purgationibus ex instinctu speciali usi fuerint; quippè jam reprobatae sunt per Ecclesiam, ut constat cap. *Ex tuarum De purg. vulgati, & quidem merito. 1°. Quia continent tentationem Dei. 2°. Quia ad tuendum bonum commune sufficit, ut de crimine, aut de innocentia*

constet per depositionem testium, aut per juramentum, aut per alia media communiter usurpata.

CONSECTARIUM. IV. Peccaret, qui nollet laborare, ut nutriendo, & vestiendo corpori provideret; quia Deus nutrit volatilia, & vestit lilia agri. Ità Aug. lib. de opere Monach. cap. 27. *Si nos per aliquam infirmitatem, vel occupationem non possimus operari; sic ille nos pascet, & vestiet, quemadmodum aves, & lilia, quæ nihil operantur hujusmodi; cum autem possimus, non debemus tentare Deum nostrum.*

CONSECTARIUM V. Peccarent, qui ægotantes, nollet vulgaria sumere remedia, sine quibus convalescere non possent; quia, ut ait Script. *Altissimus creavit de terra medicamenta; vir prudens non abhorrebit illa* Eccles. 38. v. 4. In quo duo extrema vitiosa fugienda sunt; alterum est erga carnem nimius amor, quo ægoti, non tam quærimus remedia, quam delicias; alterum, inordinatum carnis odium, quo remedia, vel alimenta necessaria, nobis subtrahimus. Possent prædicta omnia excusari, si fierent instinctu Spiritus Sancti; ille enim divinus ardor suam secum affert dispensationem. Sic B. Agatha noluit medicinam carnalem suo corpori adhiberi. Idem præstiterunt multi Martyres, idemquæ præstant sancti viri, qui ex pio instinctu, neglectis Medicinæ remediis, acres dolores patiuntur, ut exhibeant Deo corpora sua, Hostiam sanctam, & Deo placentem.

CONSECTARIUM VI. Peccarent, qui

temerè se offerrent Martyrio, irritando, & turbando infideles absquè necessitate fidei, vel fidelium; quia charitas nihil agit perperam. Debemus, cum honor Dei, & utilitas proximi exigunt, fidem confiteri. Possumus, cum neutrum illorum intervenit, fugere. Sic Christus fugit, & latuit, & fugiendo, & latendo, hominis instrubat infirmitatem, ut loquitur Aug. lib. 22. Cont. Faustum cap. 36.

CONSECTARIUM VI. Peccant, qui antè tempus orationis, ad orationem non se præparant. *Antè orationem præpara animam, & noli esse, quasi homo, qui tentat Deum.* Ecclis 18. v. 23. & D. Thom. ait: Ille, qui antè orationem suam non præparat se, dimittendo si quid adversum aliquem habet, vel alias ad devotionem se non disponendo, non facit, quod in se est, ut exaudiatur à Deo, & ideo quasi interpretativè tentat Deum. 2. 2 q. 97. a. 3. ad 2.

ARTICULUS II.

De Sacrilegio.

Sacrilegium est violatio rei Deo dicatæ. Sacrilegium est triplex; personale, quo persona Deo sacrata; locale, quo locus Deo dicatus; reale, quo res Deo consecrata, violatur.

PROPOSITIO unica. Quando opus specialitèr repugnat cum sanctitate rei, quæ violatur, sacrilegium est peccatum ex suo genere mortale, tantò gravius, quantò res

facta, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem.

1°. Ex Scripturâ. *Ostendas ei, id est civitati Jerusalem, omnes abominationes suas. Inter quas ponit hæc sacrilegia: Sanctuaria mea spreveritis; Sabbata mea polluistis.* Ezech. 2. 2. Ergò, cum sacrilegia recensentur inter abominationes; & hæc haud dubiè sint peccata mortalia, sacrilegia erunt peccata mortalia.

2°. Juxtâ D. Thom. 2. 2. q. 99. a. 4. Sacrilegis per jus Ecclesiasticum infligitur excommunicatio, & multa pecuniaria; secundum jus civile pœna capitalis: ergò sacrilegium est peccatum mortale.

3°. Legimus Heliodorum ærarium templi expoliare nitentem divina virtute durissimè cæsum. 2. Machab. cap. 3. Item legimus Andronicum occisorem Oniæ sacerdotis purpurâ exutum per totam civitatem circumductum fuisse, & deindè vitâ privatum. Mach. 2. cap. 4. Ergò hæc pœnæ inflictæ sacrilegis denotant sacrilegium esse peccatum mortale.

4°. Per sacrilegium læditur specialis virtus, nimirum religio, quæ est præcipua inter virtutes morales. Ergò est peccatum mortale.

Consecraria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Qui offendit personam sacram in eo, in quo consecrata est, peccat peccato sacrilegii personalis; quod peccatum est tantò gravius, quantò

excellentiore est persona, quæ offenditur.

Sic peccat sacrilegio personali, qui percussit Clericum, Monachum; quia percussio specialiter repugnat sanctitati Clericorum, & Monachorum; qui cum carnalibus armis renuntiaverint, æquum est, ut spiritualibus armis tegantur, & hi sacrilegi habeantur, & excommunicationem incurrant, qui eos percutere voluerint, ut habetur Can. *Si quis suadente diabolo*. *Caus. 17. q. 4.* Hujus sacrilegii reus fuit Saul, cujus jussu Doeg Idumæus irruit in Sacerdotes, & trucidavit in die illa octoginta viros vestitos Ephod lineo. *1. Reg. cap. 22. v. 18.*

Sic Peccat sacrilegio personali, qui luxuriosè violat personam voto castitatis consecratam; quia luxuries specialiter repugnat castitati, quam vovit. *Formaliter autem & propriè*, inquit, *D. Thom. 2. 2. q. 99. a. 3. ad 3.* *Illud solum peccatum sacræ personæ sacrilegium est; quod agitur directè contra ejus sanctitatem; puta si virgo Deo dicata fornicetur; & eadem est ratio in alijs.*

CONSECTARIUM II Sacrilegium locale committit, qui culpabiliter polluit locum Deo sacrum, vel per homicidium mortaliter culpabile, quo violatur immunitas Ecclesiæ, vel per effusionem mortaliter culpabilem proprii aut alterius sanguinis; quæ pariter violatur ejus immunitas, vel per culpabilem seminis effusionem, quæ violatur loci sacri sanctitas, vel per sepulturam excommunicati; quæ ejus pariter sanctitas violatur... Quandoquidem autem ita polluat Ecclesia, ut nova consecratione egeat, dicemus alibi. Quoddam

Quoddam genus sacrilegii videntur committere, qui seditiones in Ecclesia excitant, qui loco sacro utuntur ad stabulationes pecorum, qui in loco sacro incendia, effractiones, spoliationes faciunt; contrà quos facit illud Christi: *Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum*. Mat. 21. 13.

CONSECTARIUM III. Sacrilegium reale committit, quicumque tractat rem sacram aliter, quàm oportet; quod fit tribus modis.

1^o. Cum res sacra subripitur à loco sacro, v. g. calix ab Ecclesiâ. Tale fuit furtum Achan, qui quædam occultavit, & sibi retinuit ex anathemate Jericho. Jos. cap. 6. & 7.

2^o. Cum res sacra subripitur à loco non sacro, v. g. Calix sacratus subripitur è domo Sacerdotis... Tale videtur esse furtum Ananix & Saphiræ act. 5. qui pretium Deo sacrum retinuerant.

3^o. Cum res non sacra subripitur in loco sacro, v. g. argentum furtim, vel palam in Ecclesia eripitur. Quantum sit crimen hoc sacrilegum, conjici potest ex supplicio Heliodori, qui ausus est ea eripere, quæ erant in templo deposita; non minus enim Deus vult sacra esse, quæ in templis deponuntur, quàm quæ sibi consecrantur. Vide cap. 4. lib. 2. Machab.

CONSECTARIUM IV. Sacrilegium reale committit, quicumquè res sacras ad profanum usum adhibet; quia tractat illas aliter, quàm oportet... Tale fuit sacrilegium

Balthazar vasis sacris in convivio profano abutentis. Daniel. cap. 5. Tale est pariter eorum sacrilegium, qui *Scripturam Sacram, ad jocos, ad scurrilia, ad detractiones, ad libellos famosos, detorquent.* Tales autem verbi Domini corruptores Concil. Trid. *Pœnis juris & arbitrii subjicit.* Sess. 4.

ARTICULUS III.

De Simoniâ.

§. I.

Definitur Simonia.

Simonia est studiosa voluntas vendendi, aut emendi aliquid spirituale, vel aliquid temporale spirituali annexum.

1°. Dicitur studiosa voluntas, id est deliberata voluntas.

2°. Dicitur vendendi, aut emendi, quibus verbis intelligitur omnis contractus non gratuitus, ultrò citròque obligatorius, exceptâ permutatione, quia permutatio in rebus sacris est licita, servatis servandis.

3°. Dicitur spirituale, quo nomine intelligitur non res opposita corpori, qualia sunt v.g. opera Poëtica, Historica, Philosophica; sed nomine spiritualis intelligitur res supernaturalis ad salutem hominum ordinata.

Spirituale pro ut hîc sumitur, & pro ut idem est ac supernaturale, est donum Dei intrinsecè ordinatum ad salutem hominum..

Sic gratia gratis data, gratia gratum faciens sunt aliquid supernaturale, seu spirituale.

Spirituale pro ut idem est ac supernaturale est quadruplex; spirituale *essentialiter*; spirituale *causaliter*; spirituale *executive*; spirituale *uniivè*.

Spirituale *essentialiter* est ens, cujus natura est spiritualis. . . Sic gratia gratum faciens, idest gratia ordinata ad sanctificationem recipientis est aliquid spirituale formaliter. . . Sic gratia gratis data, idest gratia ordinata non ad sanctificationem recipientis, sed ad sanctificationem aliorum, est res formaliter spiritualis. . . Sic gratia vel habitualis vel actualis, fides, spes, charitas, virtutes morales infusæ tam actuales quàm habituales, sunt ens spirituale formaliter, pertinens ad gratiam gratum facientem. Sic sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanctorum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum, sunt gratiæ gratis datæ juxta Paulum.

Sic potestas ordinis v. g. vis conferendi sacramenta, vis prædicandi, vis serviendi altaribus. Sic potestas jurisdictionis, v. g. vis inferendi censuras, excommunicationes, irregularitates, suspensiones, interdicta, vis impertiendi indulgentias, vis præsentandi, eligendi, & confirmandi, & instituendi aliquem in beneficio, vis dispensandi in votis, in impedimentis matrimonialibus, sunt aliquid spirituale formaliter; quia ista omnia reducuntur ad gratias gratis datas.

Spirituale *executive* est exercitium actua-

le potestatis spiritualis.

Sic actualis inflictio censurarum actualis concessio indulgentiarum, actualis dispensatio in votis, actualis nominatio ad beneficia, actualis collatio sacramentorum, actualis predicatio, res sunt spirituales executive.

Spirituale causaliter est illud, quod licet naturale, immò & corporeum; potest tamen virtute divina producere effectum supernaturalem.

Sic sacramenta v. g. Baptismus, Confirmatio, &c sunt aliquid spirituale causaliter.

Sic Sacramentalia, nimirum Oratio, Confessio publica, elemosina, res benedictæ, v. g. aqua benedicta, panis benedictus, benedictio Episcopalis, Abbatialis, sunt aliquid spirituale causaliter.

Spirituale unitivè est illud, quod unitur cum aliquo corporeo, se habente cum re spirituali, vel *antecedenter*, vel *concomitanter*, vel *consequenter*.

Temporale antecedenter unitum spirituali est illud, quod præsupponitur spirituali, sicut subjectum recipiens spirituale. . . Sic vasa sacra, fundus patronatus, sepulchrum, sunt aliquid temporale antecedenter & spirituale in unione; quia ea omnia præcedunt spiritualia, & junguntur cum spiritualibus ipsis supervenientibus.

Temporale concomitanter unitum spirituali est illud, quod inseparabiliter jungitur cum spirituali. . . Sic labor corporalis inseparabilis à collatione sacramentorum, ab exercitio virtutum, est spirituale in unione, & temporale formaliter.

Sic reditus temporales beneficii sunt formaliter temporales & spirituales in unione.

Temporale consequenter est illud, quod consequitur ad spirituale præsuppositum.

Sic jus spirituale quodcumque vivendi ex altari, habendi decimas, beneficia Ecclesiastica, &c. est spirituale præsuppositivè.

Sic jus percipiendi pensiones ex redditibus Ecclesiæ est spirituale præsuppositivè; quia ex constitutione Pii V. quæ incipit. *Ex proximo*, omnes pensionarii tenentur ad officium aliquod spirituale, Clerici ad munera clericalia, non Clerici ad recitationem officii Beatae Mariæ.

Sic jus, quod habet persona professâ ut nutriatur in Monasterio, est formaliter temporale, & spirituale præsuppositivè; quia fundatur in Professione Religiosa.

§. II.

Dividitur Simonia.

Simonia est quadruplex, mentalis, conventionalis, realis & confidentiaria.

Simonia mentalis, quæ ad effectum externum non est perducta, est tantum desiderium internum dandi aliquid spirituale pro temporali consequendo, vel aliquid temporale pro spirituali consequendo. Sic desiderium internum, quo aliquis vult dare rem sacram, quam habet, ut obtineat temporale, quod non habet, est simonia mentalis, v. g. actus interius, quo Petrus Clericus

Beneficiatus vult dare Beneficium, quod habet, ut obtineat argentum, quod non habet, est simonia mentalis. Sic. Actus internus, quo aliquis vult dare temporale, quod habet, ut acquirat spirituale, quod non habet est simonia mentalis, v. g. actus internus, quo Petrus vult dare argentum, quod habet, ut obtineat Beneficium, quod non habet, sed quod vellet consequi, est simonia mentalis.

Simonia conventionalis, in qua pactum intercedit, est conventio duorum aut trium de tradenda re spirituali pro temporali, vel de tradendo temporali pro spirituali. Hæc conventio dicitur pura, si neutra pars exequatur conventionem. Dicitur mixta, si altera pars exequatur conventionem. Dicitur realis simonia, si utraque pars consummet conventionem.

Simonia igitur realis est conventio duorum vel trium tacita vel expressa de tradenda re spirituali pro temporali, vel de tradendo temporali pro spirituali; conventio, inquam, actualiter ex utraque parte executioni mandata. Ubi vides, quod simonia realis supponit conventionalem, & conventionalis mentalem.

Simonia fiduciaria est ea, quæ datur aliquid spirituale cum onere dandi illud idem spirituale alteri, vel cum onere dandi aliquos fructus ex tali spirituali provenientes. Sic dare Beneficium Petro, cum onere, ut illud resignet Paulo, vel cum onere, ut det dimidium fructuum, vel solvat pensionem, est simonia fiduciaria.

Simonia, alia est subjecta Canonibus Ecclesiæ, & ultioni divinæ, alia est subjecta soli ultioni Divinæ & non Canonibus. Simonia subjecta ultioni Divinæ & pœnis Ecclesiasticis est ea, propter quam incurruntur censuræ Ecclesiasticæ, & ultio Divina. Simonia non subjecta pœnis Ecclesiasticis est ea, propter quam incurritur sola ultio Divina, & non censuræ Ecclesiasticæ.

Simonia, alia est juris merè Ecclesiastici, alia est juris naturalis, & Divini.

Simonia juris naturalis & Divini ea est, quæ jure naturali, & Divino prohibetur. . . . Talis est omnis emptio, aut venditio rei, vel spiritualis, vel spirituali annexæ.

Simonia juris merè Ecclesiastici ea est, quæ solùm ab Ecclesia prohibetur ad fugandam omnem simoniæ speciem.

Talis est actio, quæ res spirituales non dantur, aut recipiuntur, uti Ecclesia jubet, v. g. Permutatio Beneficii cum alio Beneficio sine autoritate Superioris Ecclesiastici. Cap. *Quæsitum de rerum permutatione*. Item resignatio Beneficii cum pensionis reservatione. Cap. *Pactiones de pactis*. Resignatio in favorem in manibus alterius à Papa. Item Beneficiorum collationes, & præsentationes cum aliquo pacto.

Talis est pariter actio, quæ res, non quidem sacra, sed affinis rei sacræ, emitur, aut venditur contra Ecclesiæ vetitum, v. g. emptio, vel venditio officiorum Sacristæ, Oeconomi, &c. Can. *Salvator* 1. q. 3.

§. III.

Statuitur, quàm grave crimen sit simonia.

Simonia deliberatè commiffa est de fe peccatum mortale.

Probatur 1°. Verbis Petri acri reprehensione vitium illud in Simone Mago fulminantis Act. 8. v. 20. : *Pecunia tua tecum fit in perditionem ; quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*

2°. Ex eodem D. Petro. Peccatum illud in Balaam his verbis execrante : *Balaam mercedem iniquitatis amavit ; correctionem verò habuit suæ vesaniæ subjugale mutum animal, quod in hominis voce loquens prohibuit Prophetæ insipientiam.* 2. Petri cap. 2. 15.

3°. Exemplo Giesi, qui ob illud crimen leprâ percussus est.

4°. Ex Tharasio Can. Eos qui per pecunias. Simoniacus est pejor Macedontano, & æqualis Judæ proditori... Macedonianus heretice sentit Spiritum Sanctum esse creaturam, & simoniacus vendit Spiritum Sanctum ; quasi foret suum mancipium. Judas vendidit Christum ; simoniacus vendit Spiritum Christo consubstantialem : Undè, ut docet disertis verbis D. Thom. Simoniacus est hereticus, non secundum opinionem, quâ credat Deum esse venalem, sed quia ita se gerit, ac si Deus venalis esset, 2. 2. q. 100. a. 1. ad 1.

5°. Irreligiositas est de fe peccatum mortale ; quia opponitur Religioni : atqui simonia est irreligiositas ; quia per simoniam res

facra, cunctis opibus longè præstantior, habetur ut venalis: Ergò simonia est peccatum mortale. Tertullian. Apolog. cap. 13. probat Ethnicos, Deorum, quos se colere profitebantur, reverà fuisse illusores; quia Deos illos emebant & vendebant. Potiori ratione Religionis illusor est Christianus, qui res sacras venales habet; *Quis enim non vile esse putat, quod emitur; quis denuò veneretur, quod venditur.* Greg. lib. 7. Epist. 115.

6°. Furtum est peccatum mortale; quia opponitur justitiæ: atqui simonia est furtum; quia per simoniam homo vendit, quod non ejus est, sed quod est Dei: ergò simonia est peccatum mortale.

7°. Pervertere naturam rei spiritualis est peccatum mortale; quia tale peccatum non est contra medium indifferens, sed est contra finem, vel contra medium connexum cum fine: atqui simonia pervertit naturam rei spiritualis; quia dat titulo pretii, quod gratis est dandum, juxtà illud Math. 10. v. 8. *Gratis accepistis, gratis date:* Ergò omnis simonia est peccatum mortale.

§ IV.

Statuitur, quæ simonia subjiciatur pœnis Canonicis, & quæ sint pœnæ illæ Canonicae.

Tribus pœnarum generibus jus Ecclesiasticum in simoniacos animadvertit, ut patet ex extravag. 1. quæ incipit, *Sane.* Et ex extravag. 2. quæ incipit, *Detestabile.* De simonia,

Prima pœna est privatio rerum, quas quis per simoniam acquisivit. Secunda pœna est restitutio pretii, quod acceptum est. Tertia pœna est excommunicatio latæ sententiæ, si sit Laicus; suspensio verò ab exercitio ordinum, si sit Clericus.

Sunt aliqui Theologi, qui tueantur duas priores pœnas juris esse naturalis, & incurri etiamsi jus positivum Ecclesiasticum eas non infligeret; sed cum hoc controversatur, agamus primò de his, quæ certa sunt, postea discutiemus, quæ sunt dubia.

PROPOSITIO I. Ut simonia subji-
catur pœnis Canonicis, debet esse. 1°. Realis
& completa. 2°. Debet esse, vel in ordi-
nis Sacramento, quales sunt minores, &
majores ordines; vel in Beneficiis, qualia
sunt Episcopatus, Abbatia, Præbenda,
Prioratus & Prælaturæ regulares; vel in in-
gressu, aut professione Religiosa.

Probat 1°. Ex jure Canonico, ut in-
currantur pœnæ Canonice contra simoniacos
inflictæ. 1°. Simonia debet esse realis; nam
si sit purè mentalis in eo casu. *Delinquen-
tibus: ait Greg. 9. Sufficit per solam pœniten-
tiam suo satisfacere creatori. cap. Mandata de
simonia.* 2°. Simonia debet esse, vel in be-
neficiis, vel in ordinibus, vel in receptio-
ne, aut professione Religiosa; quia Ecclesia
nullam aliam prohibuit simoniam sub pœnis
Canonicis, ut patet ex extravagante. De si-
monia prima & secunda: si quidem prima
quæ incipit, *Sane* subji- ctit pœnis Canonicis eos
qui dant, aut accipiunt aliquid pro ingressu
in religionem; secunda quæ incipit, *Detesta-*

bile, subijcit pœnis Canonis, eos qui ordinantur, aut eliguntur ad beneficia simoniacè. Ergo ut simonia subijciatur pœnis Canonis debet esse. 1°. Realis. 2°. Commissa vel in ordinibus, vel in receptione, aut professione Religiosa.

2°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 6. *Dicendum, quod quoad Deum sola voluntas facit simoniacum; sed quoad pœnam purè, Ecclesiasticam ex exteriorem non punitur, ut simoniacus, qui est solius mentalis simoniæ conscius: adeo, ut abrenunciare teneatur.* Beneficio simoniacâ mente desiderato, si ei postea Canonicè conferatur; *Sed debet de mala intentione pœnitere: Ergo ex D. Thom. ut simonia subdatur pœnis Canonis debet esse realis.* Et in responsione ad 1. & 5. argum. idem sanctus Doctor non aliam simoniam subjectam pœnis Canonis recenset, nisi eam, quæ committitur, vel in receptione, aut collatione ordinum, aut beneficiorum, vel in ingressu aut professione Religiosa.

3°. Ex Canonistis & Theologis, non alia admittitur simonia subjecta pœnis Canonis, nisi ea, quæ est realis, & commissâ, vel in collatione aut receptione ordinum, aut beneficiorum, aut in ingressu, aut professione Religiosa: ergo hæc sola simonia subditur pœnis Canonis.

4°. Ratione. Ratio cur hæc triplex simonia, & non alia subdatur pœnis Canonis, non alia est, quàm voluntas Legislatoris; motivum autem esse potuit, quod triplex illa simonia graviora mala infert

360 MORALIS CHRISTIANA.
Ecclesiæ: ergò debuit pœnis Canonis
coerceri.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Simonia, sive realis, sive conventionalis, sive mentalis commissa circa res quascumque spirituales, diversas ab ordinibus sacris, à beneficiis, ab ingressu in religionem, non subjicitur pœnis Canonis; quia sola simonia in beneficiis, in ordinibus, in ingressu in religionem subjicitur pœnis Canonis.

Sic simonia commissa in vasis sacris emendis, vel vendendis, in sepulturis, in concionibus, in missis, &c. est quidem grave peccatum, sed non subjicitur pœnis Canonis.

CONSECTARIUM II. Simonia etiam circa beneficia, circa ordines, circa ingressum in religionem, si sit omnino purè mentalis, & nullatenus in externum opus prodeat, est quidem grave peccatum; quia adjunctum habet animum deliberatum vendendi, aut emendi aliquid spirituale, quod gravissimum scelus est: sed non subjicitur pœnis Canonis; quia Ecclesia non judicat de internis, sicuti homicidium internum, heresis interna, quantumvis aliundè gravissima scelera, non tamen subjiciuntur pœnis Canonis, licet heresis externa, aut homicidium externum censuris subjiciantur. Unde hæc regula apud omnes recepta: *Cogitationis pœnam nemo patitur. Can. Cogitationis.*

CONSECTARIUM III. Simonia etiam
circa

circà beneficia, circà ordines, circà ingressum in religionem, verè mentalis, etsi exterius imperata & exercita, modò interiùs lateat venenosa intentio, inquit Cajetanus, quamvis rem propositam assequatur; est quidem grave peccatum; quia per spirituale paratur via ad temporale, vel per temporale ad spirituale, sed non subjicitur pœnis merè canonicis; quia inter simonias mentales collocatur, inquit Cajetanus, verbo. *Simonia.*

Sic servit aliquis Episcopo, aut munus offert pro spirituali consequendo, vel è contrario spirituale dat pro temporali consequendo; non tamen declarat pravam suam intentionem, nec implicite, nec explicitè, scilicet quod intentione emendi aut vendendi hoc faciat, peccat graviter, sed non incurrit censuras Ecclesiasticas.

CONSECTARIUM IV. Simonia purè conventionalis, in quâ facta est conventio de dando spirituali, & accipiendò temporali; in quâ tamen neque res spiritualis, neque pretium tradita fuerunt; est quidem grave peccatum; quia omnis simonia est peccatum, sed non subjicitur pœnis canonicis, inquit Cajetanus; quia non est realis & completa.

CONSECTARIUM V. Simonia conventionalis mixta, in quâ facta est conventio de dando spirituali, & accipiendò temporali, quæ completa est solum ex parte ementis, qui dedit pretium, & non ex parte vendentis, qui daturus erat spirituale, est quidem grave peccatum; quia est simonia, sed non subjicitur, inquit Cajetanus, pœnis

canonicis , quia non est realis & completa.

CONSECTARIUM VI. Simonia conventionalis mixta , in quâ facta est conventio de dando spirituali & accipiendo temporali , quæ quidem completa est ex parte vendentis spirituale , & non ex parte eientis , sive in quâ datum est spirituale , sed in quâ non datum est temporale , est quidem , juxta omnes , grave peccatum ; quia est simonia , sed non convenit inter autores , an sit subiecta pœnis canonicis , nec ne.

Juxtâ Cajetanum & alios , hæc simonia conventionalis , non subijcitur pœnis canonicis ; quia , ut aiunt , pœnæ non infliguntur , nisi actibus consummatis ; simonia autem non censetur consummata , nisi ab utraque parte datum fuerit quod promissum est , & talis est , inquiunt , stylus Curia Romanæ.

Juxtâ alios prædicta simonia conventionalis subijcitur pœnis canonicis ; quia , inquiunt , contractus emptionis & venditionis perfectè consummatus censetur , quandò res est tradita emptori ; etiamsi pretium nondùm fuerit venditori persolutum , sed tantum promissum.

MONITUM. Constat ex dictis , ubi de probabilitate , quod in dubiis & in æque probabilibus tutior pars est sequenda : ergò qui conscii sunt simoniae conventionalis , quæ completa est solum ex parte vendentis , & in qua datum est spirituale , & non persolutum temporale , neque in toto , neque in parte , ii , inquam , debent ità se gerere , ac si incurrissent simoniam realem , & proindè re-

currere ad sedem Apostolicam, ut quid opus sit facto, à summo Pontifice accipiant: nulla enim satis magna securitas ubi periclitatur æternitas.

PROPOSITIO II. Illi omnes pœnas canonicas latas contra simoniacos incurrunt, qui committunt simoniam realem, & completam, vel in ordinibus, vel in beneficiis, vel in professione Religiosa, vel qui sunt ejusdem realis simoniæ mediatores.

Probatur 1^o. Ex Jure Canonico. Ut incurrantur pœnæ canonicæ contra simoniacos, sufficit quod simonia sit circa vel ordines, vel beneficia, vel professionem Religiosam, ut patet ex Extravagan. 2. *Cum detestabile*. de simonia, modò sit realis & completa: ergò prædicti incurrunt pœnas contra simoniacos. Sufficit pariter ad incurrendas easdem pœnas, quod quis sit mediator ut habetur eodem. cap. ergo, &c.

Illud idem habetur in Concil. Calcedonensi, ut refertur. Can. *Si quis*. *Si quis verò mediator tam turpibus, tam nefandis datus, vel acceptis, extiterit; si quidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat: si verò Laicus, aut Monachus, anathematizetur.*

De prima pœna contra Simoniacos, scilicet excommunicatione, & suspensione

CONSECTARIUM I. Simoniacè scienter ordinans, & simoniacè scienter, ordinatus simoniâ reali & completa, etiamsi eam simoniam occultè incurrerint, excommunicantur excommunicatione reservata summo

Pontifici, & suspenduntur, ordinans à collatione quorumcumque ordinum, immò primæ Tonsuræ, & ordinatus ab exercicio ordinis recepti. Mediatores eisdem pœnis subjiciuntur. Illud patet ex extravaganti 2. *Cum detestabile. de simoniâ. Declaramus*, inquit Paulus Papa 2. *Quod omnes illi, qui simoniacè ordinati fuerint, aut qui mediatores extiterint, seu procuraverint, sententiam excommunicationis incurrant, à quâ, non nisi à Romano Pontifice pro tempore existente, non possint absolvi, præterquam in mortis articulo constituti.*

CONSECTARIUM II. Conferens aut recipiens beneficium simoniacè scienter, v. g. Episcopatum, Abbatiam, Prioratum, & Prælaturam regularem, aut qui mediatores ad id extiterint, excommunicantur eadem excommunicatione, ut habetur eodem. cap. *Detestabile.*

CONSECTARIUM III. Receptus, aut recipiens simoniacè scienter ad professionem religiosam, excommunicantur eadem excommunicatione, si sint singulares personæ; si verò sit Capitulum aut Conventus, suspenditur ab officio capitulari ad jurisdictionem vel ad administrationem Ecclesiasticam pertinentem. Ità extravaganti 1. de simoniâ, quæ incipit *Sanè*, ubi Urbanus 4. jubet ut omni pactione cessante fiat ingressus in religionem, qui secùs fecerint, si sint singulares personæ tam dantes, quam accipientes, hujusmodi excommunicationis; si capitulum vel conventus fuerit, suspensionis sententiis eo ipso decernimus subjacere; à quibus, præterquam in mor-

*is articulo , absolvi nequeant absquè sedis
Apostolicæ licentiâ speciali.*

*De secunda pœna contra Simoniacos , scilicet
de privatione rei per Simoniam acceptæ.*

C O N S E C T A R I U M IV. Simoniacè scienter ordinati , recipiunt quidem characterem ordinis , quia est effectus necessarius Sacramenti ; sed non possunt uti ordine simoniacè accepto ; quia suspenduntur , ut patet ex cap. *Detestabile*.

C O N S E C T A R I U M V. Qui simoniacè scienter recepti sunt in statu religioso , non eximuntur ab obligatione voti ; quia validè voverunt. Et ne evagentur in saculo , inquit D. Thom. , debent vel in arctiori monasterio recipi , ut iussit Concilium Lateranense . vel in eodem monasterio , ut permittit Urbanus IV. post peractam pœnitentiam recipi. cap. *Sanè*.

C O N S E C T A R I U M VI. Qui simoniacè scienter beneficium aliquod Ecclesiasticum accepit , tenetur protinus nullâ expectatâ sententiâ iudicis illud resignare in manibus Prælati ; quia non habet titulum , quo illum retineat , & fructus quos malâ fide percepit. *Tenetur* , inquit D. Thomas , *resignare beneficium , quod est consecutus , cum fructibus extantibus*. Et paulo superius. *Tenetur* , inquit , *ad restituendos fructus non solum perceptos , sed etiam eos , qui percipi potuerunt à possessore diligentibus*. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 3.

Nota. Quod qui recipit simoniacè scienter beneficium , sit inhabilis ad idem bene-

ficium; quia ita determinat Jus Canonicum.

Sed non privatur beneficiis, quæ antea habebat, nec fit inhabilis ad alia beneficia; quia nulla est Lex Canonica istam pœnam apponens: pœnæ autem non sunt extendendæ. *Can. Pœnæ & cap. odia. de regulis juris. in 6.*

Sola simoniâ confidentialis ex jussu Pii V. Item simoniâ commissâ in electione summi Pontificis, ut statuit Concil. Later. sub Julio II. sess. 5. Tandem simonia, per quam examinatores futurorum parochorum aliquid ab eis recipiunt, sive antè, sive post examen, ut statuit Trident. sess. 24. cap. 18. De reformatione, habent hanc pœnam propriam, ut privent reos hujusce simoniæ quibuscumque beneficiis antea obtentis, & inhabilitatem inducant ad futura recipienda.

De tertia pœna contra Simoniacos, scilicet de restitutione pretii per Simoniam accepti.

CONSECTARIUM VII. Simoniacè ordinans tenetur restituere pretium acceptum pro collatione ordinum; non enim potest retineri.

CONSECTARIUM VIII. Pretium acceptum pro ingressu in religionem non potest retineri ab Abbate, vel Priore, sed debet in bonum communitatis impendi, ut jubet Urbanus IV.

CONSECTARIUM IX. Pretium acceptum pro collatione beneficii, aliove actu ad hunc finem ordinato, ut sunt, electio, præ-

sentatio, confirmatio, &c. retineri non potest, ut habetur Cap. de hoc. De simoniâ. *Acceptum illud*, inquit Alexander. 3. *Sinè gravi salutis suæ periculo retinere non possunt.* Sed pretium illud debet dari, vel Ecclesiæ, quæ læsa est, inquit D. Thomas, vel pauperibus, quibus certa portio beneficiorum destinata est.

§ V.

Inquiritur, utrum ex vi solius juris naturalis incurratur à Simoniacis duplex hæc pœna, scilicet privatio rerum spiritualium, quas quis per Simoniam acquisivit, & obligatio restituendi pretii, quod simoniacè acceptum est.

PROPOSITIO unica. Juxta gravissimos autores non solum jure Ecclesiastico, sed etiam jure divino & naturali omnis venditio & emptio simoniaca est nulla; atque adeo ex vi solius juris naturalis simoniacus tenetur verò Domino reddere, & spirituale, quod simoniacè acquisivit, eo modo quo reddi potest, & temporale, quod simoniacè consecutus est.

Probatur 1°. Script. Res spiritualis nec emi potest, nec vendi, sed solum gratuito donari, juxta illud: *Gratis accepistis, gratis date*: Ergò omnis emptio & venditio rei spiritualis est ex jure naturali & divino nulla.

2°. Ex Jure Canon. cap. *Pactiones de pactionibus*. Ubi sic habetur: *Pactiones factæ à vobis,*

pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti. Postea additur. Pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibile de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit: Ergo sicut pactio rei impossibilis est nulla; ita & venditio, vel emptio rei spiritualis.

3°. Ex D. Thoma 2. 2. q. 100. a. 6. in corp. Dicendum, quod nullus potest licite retinere id, quod contra voluntatem Domini acquisivit; puta si aliquis dispensator de rebus Domini sui daret alicui contra voluntatem Domini sui, ille, qui acciperet, licite retinere non posset. Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores & ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur... Et ideo, qui muneris interventu spiritualia quacumque assequitur, ea licite retinere non potest: Ergo ex D. Thom. Emptio & venditio rei spiritualis est nulla, sicuti donatio rei alienæ.

4°. Ratione allata per Covarruviam ad regulam, peccatum, p. 2. §. 8. Simoniaca Sacerdociorum sollatio, & idem aliarum dignitatum & beneficiorum simoniaca concessio, est nulla; nec jus aliquod tribuit ei, cui facta fuit; non quidem in pœnam criminis sed quia ex naturâ rei jure ipso naturali hæc acquisitio impeditur divina voluntate, sine qua spiritualia vendi nequeunt. Et quia inquit idem autor res spiritualis materia invendibilis est: ergo si res spiritualis, tum naturâ suâ, tum voluntate Dei, vendi non possit, omnis venditio & emptio rei spiritualis est nulla.

Nec obstat, quod Sacramenta simoniacè collata, v. g. Baptismus, Confirmatio, & Ordo caracterem conferant; quia tria illa Sacramenta eam vim habent, non ex vi venditionis, aut emptionis quæ nulla est, sed ex vi institutionis Christi, qui voluit, quod triplex hoc Sacramentum modò validum, licet informè, ut dicunt, caracterem produceret.

Nec obstat pariter, quod matrimonium, licet simoniacè collatum, sit validum, & Professio Religiosa, licet simoniaca, sit valida; quia id provenit, non ex pactioe simoniaca, quæ nulla est; sed ex eo, quod & matrimonium, & professio Religiosa acceptantur ab Ecclesia, si certis solemnitatibus muniantur, quamvis simoniaca conventio, si quæ intercesserit, ab Ecclesia reprobetur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Simonia mentalis cum opere subsecuto est restitutioni obnoxia. Ita docent Adrianus 6. Dominicus, Covarruvias, Estius, aliique quamplures, reclamantibus licet plerisque Canonistis.

Sic, si quis non pacificatur expressè de pretio, sed munus quasi liberaliter offerat, mente tamen simoniacà quâ intendat munere tamquam pretio beneficium sibi comparare, is obnoxius fit restitutioni, nec beneficium retinere potest. Quia acceptio beneficii fuit simoniaca; beneficium autem sine canonica institutione retinere non possumus.

Et sicuti, inquirunt, qui ea mente dat mutuum, ut aliquid speret ultra sortem, usuram mente committit, & ad restitutionem tenetur ejus, quod tali intentione acceperit, etiamsi expressa conventio non intercesserit, ut docet Urbanus III. cap. *Consuluit*. De usuris. Ità idem sentiendum de eo, qui simoniam mentalem committit cum opere subsecuto.

CONSECTARIUM II. Qui beneficium aliquod accipit simoniacè, non sciens, sed ignorans, non per simoniam à se, sed ab alio commissam, nisi id fuisset factum fraudulenter, & in ejus odium, aut nisi ipse expressè tali simoniacæ pactioni contradixisset; is inquam tenetur beneficium dimittere hoc ipso, quod cognoscit simoniam; quia institutio non fuit canonica, sed simoniaca; beneficium autem sine canonica institutione obtineri non potest.

Sic pueri tenentur ea beneficia dimittere, quæ eis omninò pactionem simoniacam ignorantibus per parentes simoniacè aquisita sunt. Sicuti, si alienum ignoranter detineamus, tenemur id restituere hoc ipso, quod cognoscimus non nostrum esse, sed alienum. De prædicto casu ità loquitur D. Thom. *Si eo nesciente per alios alicujus promotio simoniacè procuratur, caret quidem ordinis executione, & tenetur resignare beneficium, quod est consecutus cum fructibus extantibus: non autem tenetur restituere fructus consumptos; quia bona fide possedit; nisi fortè inimicus ejus fraudulenter pecuniam daret pro alicujus promotione, vel nisi ipse expressè contradixerit;*

tunc enim non tenetur ad renunciandum, nisi forte post modum pacto consenserit; solvendo, quod fuit promissum 2. 2. q. 100. a. 6. ad 3. Idem habes cap. Nobis fuit. & cap. Sicut suis liberis. De simonia.

CONSECTARIUM III. Pretium simoniacè acceptum retineri non potest; cum enim emptio & venditio simoniaca sit nulla, venditor rei spiritualis non acquirit vi venditionis dominium pretii, quod accipit.

Quares, cui restitutio fieri debeat, tum rei spiritualis, tum pretii.

Respondeo. Si solum jus naturale spectemus, restitutio rei simoniacè acceptæ facienda esset ei, à quo accepta est; sicut & Judas fecit, referendo triginta argenteos Principibus Sacerdotum, sed quia æquum est, ut restitutio facienda ob crimen Simonix determinetur per Ecclesiam, cujus est de hujusmodi flagitiis judicare; ideo hæc restitutio debet fieri hoc pacto.

Primo quo ad beneficia. Si simonia realis fuerit, beneficium ecclesiasticum simoniacè acceptum redit ad jus collatoris, vel superioris; alioquin ad priorem possessorem reverti debet. Ità Estius in 4. dist. 26. §. 18.

Secundo. Quoad pretium. Si simonia realis fuerit, & ex utraque parte completa, pretium debet dari, vel Ecclesiæ, cui facta est injuria, vel pauperibus. Ità D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 4. Dicendum, quod pecunia, vel possessio, vel fructus &c. simoniacè accepti, debent restitui Ecclesiæ, in cujus injuriam data fuerunt. . . . Si verò Prælati, & totum Collegium sunt in culpa; tunc debet cum

autoritate Superioris, vel pauperibus, vel alteri Ecclesie erogari.

Si verò simonia non sit realis ex utraque parte, sed datum fuerit pretium, & non acceptum spirituale; tunc, inquit Cajetanus, pretium restituendum est ei, à quò acceptum est; non enim datum est nisi supposità conditione, quæ adimpleta non est. Item, cum datum est temporale pro spirituali, quod quis ex iustitia conferre tenebatur, v. g. datum est argentum Parocho, ut conferret Sacramenta; vel simplex Sacerdos, aut etiam Parochus exigunt pro collatione rei spiritualis aliquid ultra consuetudinem, vel taxam, tunc temporale debet restitui ei, qui dedit.

§. VIII.

Stabilitur propositio fundamentalis, quâ penetratâ innotescit, quibus in casibus committatur Simonia; tum mentalis, tum conventionalis, tum realis.

PROPOSITIO unica. Crimen simoniæ incurritur, quotiescumque ex pacto datur temporale pro spirituali, vel spirituale pro temporali, quacumque mente detur, si interveniat contractus vel explicitus, vel implicitus.

Probatur Script. Toties ex Script. Simonia committitur, quotiès spirituale datur non gratis, juxtà illud Math. 10. v. 8. *Gratis accepistis, gratis date*: Atqui spirituale non datur gratis, quandò datur ex contrac-

tu & pacto, ut patet, quodcumque inter-
veniat motivum; libertas enim dandi, vel
non dandi, & necessitas dandi opponuntur:
Ergo toties simonia committitur, quoties ex
contractu & pacto datur temporale pro spi-
rituali, vel spirituale pro temporali, quo-
cumque motivo detur. Ridenda enim est
explicatio quorundam, qui ut refert Da-
mianus lib. 1. Epist. 13. Aiunt: *Non emitur
Sacerdotium, sed possessio prædiorum... Ve-
nalia sunt, undè sint divites; gratis accipiunt,
undè fiant Sacerdotes.*

2°. Ex Canonibus. Canones vetant dari
pro spirituali consequendo quodlibet præ-
mium, quolibet modo, quocumque modo:
Ergo Canones supponunt committi simo-
niam, quoties ex pacto datur temporale pro
spirituali, quod patet. 1°. Ex Concilio To-
letano. 8. cap. 3. *Quicumque pro percipienda
dignitate quodlibet præmium detectus fuerit
obtulisse, ex eodem tempore anathematis se no-
verit opprobrio condemnatum.* 2°. Ex Con-
cilio Tolos. anno 1505. Can. 1. *Si quis Epis-
coporum accepta quocumque modo pecunia or-
dinaverit, subjaceat pœnis simoniacorum.*
3°. Gregorius libro. 4. Epist. 8. *Fraternitati
vestræ commoda quolibet modo subrepant, ne
laqueis simoniacæ (quod absit) hereseos al-
ligetur.*

5°. Ex propositionibus damnatis à summis
PP. & à Clero Gallicano art. 15. Ad simo-
niam contrahendam sufficit, quod detur tem-
porale, non pro beneficio, sed pro tempo-
rali, quod cum beneficio connectitur. Ità
determinavit Alexander VII. damnando hanc

propositionem. Non est contra iustitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis; quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

Ad simoniam incurrendam sufficit quod detur temporale tanquàm motivum, licet non detur tanquàm pretium. Ità determinavit Innocentius XI. damnando sequentes propositiones. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquàm pretium, sed duntaxat tanquàm motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel quando temporale fit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.*

Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quàm res spiritualis.

6°. Ratione. Quotiescumque intervenit illud pactum: *Do, ut des, vel do, si des,* toties intervenit contractus, ut patet: atqui contractus in rerum spiritualium traditione & receptione, inducit simoniam: Ergò quotiescumque intervenit pactum; *Do ut des, vel Do, si des,* committitur simonia, ad quam non requiritur pactum expressum, sed sufficit tacitum, ut docet Damianus Opusc. 31. cap. 5. *Sunt nonnulli, inquit, qui nullum pacti sunt commodum; post modum verò tanquam à debitoribus exigunt. Hi non dubitent se Giesi crimen incurrere.*

Sic cum solo pacto implicito Simon Magnus peccavit peccato simoniæ; quia usus est

temporali , scilicet pecuniâ , ut obtineret spirituale , scilicet vim operandi miracula , quam pecuniam Petrus rejecit , dicens : *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Act. 8. v. 20. Giesi verò sine pacto pariter explicito peccavit peccato simoniæ ; quia accepit temporale , scilicet pecuniam , & vestes propter spirituale , quod datum fuerat ab Eliseo , scilicet , pro miraculosa sanitate corporis & animæ , quam Naaman receperat , cui Giesi dixit Eliseus : *Accepisti argentum , accepisti vestes , ut emas oliveta , & vineas , & oves , & boves , & servos , & ancillas ; sed & lepra Naaman adhaerebit tibi & semini tuo usque in sempiternum.* Et egressus est Giesi ab eo , scilicet Eliseo , *leprosus quasi-nix.* 4. Reg. 5. v. 26.

Consectaria generalia hujus Doctrinæ , quæ sunt totidem principia Consectariorum particularium.

CONSECTARIUM I. Simoniam committunt conferentes rem spiritualem , vel formalitèr , vel executivè , vel unitivè , vel causalitèr ; ut aiunt si conferant proptèr aliquod commodum temporale , v. g. ob munus à manu , ob munus à lingua , ob munus ab obsequio ; quia non dant gratis rem spiritualem.

CONSECTARIUM II. Simoniam committunt , recipientes rem spiritualem , vel spirituali annexam , proptèr commodum temporale , quod rependunt , v. g. proptèr munus à manu , à lingua , ab obsequio ; quia

376 MORALIS CHRISTIANA.
recipiunt rem spiritualement non gratuitò. Ità
Canon. *Qui res ecclesiasticas.*

Per munus à manu, intelliguntur omnia bona temporalia, sivè mobilia, sivè immobilia, v. g. pecunia, fundus, supellex, redditus, debita, aut res alia quælibet, quæ solet esse materia contractuum.

Per munus à lingua, intelliguntur preces, non manifestantes solum meritum personarum, quibus conferri solent res sacræ, sed preces urgentes, intercessionem magnatum, commendationes, laudes, adulationes, & alia hujusmodi, quibus flectitur animus conferentium res spirituales.

Per munus ab obsequio, intelliguntur omnia obsequia ad alterius utilitatem temporalem spectantia: *Munus à manu pecunia, munus ab obsequio obedientia subjectionis, munus à lingua favor adulationis significant,* inquit Damianus. *lib. 2. Epist. 11.*

§. VII.

In quo applicando propositionem superius stabilitam, fit descensus ad casus particulares, in quibus committitur simonia vel mentalis, vel conventionalis, vel realis.

Constat ex dictis, quod vendere aut emere aliquid spirituale, vel in natura sua, vel in causa, vel in effectu, vel in unione, sit simonia. Spirituale inquam in natura cujusmodi sunt. Gratia gratis data, & gratia gratum faciens. In causa cujusmodi sunt Sacramenta & Sacramentalia. In effectu cujus-

modi est exercitium actuale potestatis spiritualis. In unione cujusmodi sunt. Beneficia, jus patronatus, &c.

Conseſtaria hujus principii.

C O N S E C T A R I U M I. Simoniam committit, qui intendit vendere, aut emere (si fieri posset) spirituale in natura. 1°. Donum gratum faciens, nimirum gratiam, spem, charitatem, virtutes morales, & actus earundem virtutum. 2°. Gratas gratis datas, v. g. donum linguarum, operationes virtutum, Prophetiam, &c. 3°. Potestatem jurisdictionis, v. g. vim ferendi censuras, excommunicationes, irregularitates, suspensiones, interdicta, vim imperandi indulgentias, vim perducendi ad beneficia, vel per præsentationem vel per collationem, vel per confirmationem, vim dispensandi in votis, in impedimentis matrimonialibus. 4°. Potestatem ordinis, v. g. vim conferendi Sacramenta, vim prædicandi, vim serviendi altaribus; quia hæc omnia sunt aliquid spirituale, *formaliter*, ut dicunt.

C O N S E C T A R I U M II. Simoniam committit, qui vendit, vel emit exercitium potentia, & virtutis spiritualis; qualia sunt. 1°. Exercitium potentia, ordinis, v. g. collatio actualis Sacramentorum, actualis prædicatio, actualis inflictio censurarum, excommunicationis, suspensionis, irregularitatis interdicti, absolutio à censuris, dispensatio in votis, in impedimentis matrimonialibus, benedictio Papalis, largitio

Indulgentiarum ; quia ista omnia sunt spiri-
tualia , *executive* , ut loquuntur.

CONSECTARIUM III. Simoniam com-
mittit , qui vendit , aut emit aliquid natu-
rale , quod est causa rei spiritualis , v. g.
qui vendit Sacramenta , aut Sacramentalia ,
quia hæc omnia sunt aliquid spirituale *effec-*
tive , ut aiunt seu ratione effectus producti.

CONSECTARIUM IV. Simoniam com-
mittit , quicumquè vendit , aut emit aliquid
spirituale connexum cum temporali , si ven-
dat temporale carius ratione spiritualitatis
sibi annexæ ; sic vendere vasa sacra , ves-
tes sacras , carius ob spiritualitatem adjunc-
tam , est simonia ; quia hæc sunt spiri-
tualia in unione , seu , ut dicunt , *unitive*.

CONSECTARIUM V. Vendere tempo-
rale , quod præcedit spirituale , non est si-
monia ; modò carius non vendatur , bene
tamen si carius vendatur , quia in primo ca-
su non venditur spirituale , sed solum tem-
porale , in secundo verò casu est simonia ;
quia venditur spirituale ; & ita non est si-
monia vendere aut emere ista omnia , v. g.
vasa sacra , vestes sacras , terram sepulturæ ,
prædium , domum , urbem , cui annexum est
jus Patronatus , materiam Sacramentorum ,
v. g. aquam ad Baptismum , oleum ad Con-
firmationem , panem & vinum ad Eucharis-
tiam ; nec simonia est dare dotem pro con-
tractu matrimoniali ; quia in his omnibus ca-
sibus , temporale quod venditur , præcedit
spirituale , cum quo venditur ; at si hæc om-
nia carius venderentur propter spirituale an-
nexum , esset simonia ; quia venderentur ca-

rius ratione spiritualitatis. Illud constat ex Alexandro III. cap. *Ea quæ extra de simonia audivimus*, inquit, *quod nummos pro Chrismate ab Ecclesiasticis extorquetis . . . Quia verò hoc simoniacum esse cognoscitur, mandamus quatenus prætextu alicujus consuetudinis, vel prælationis præscriptos denarios nullatenus exigatis.*

CONSECTARIUM VI. Non est simonia vendere temporale annexum spirituali, modò non carius vendatur ratione spiritualitatis; quia sicuti res temporalis potest separari à spirituali, ita & vendi; & ita non est simonia vendere ista omnia, v. g. vendere laborem extrinsecum non solitum adhiberi in collatione Sacramentorum, in celebratione missarum, in consecratione Ecclesiarum. Justum namquè est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium, & ita potest iniri pactum ob laborem longioris itineris, ob cantum extraordinarium, ob obligationem celebrandi missam tali & tali horà; quia iste labor est extrinsecus, & separabilis à collatione rei spiritualis cavendum tamen à turpi lucro sic juxta Cajet. *Absque simonia fieri potest locatio operarum in illis exercitiis spiritualibus, quæ principalitèr sunt corporalia, ut patet de officio Sacristæ, Judicis, Doctoris in Theologia, & aliis hujusmodi, in quibus debentur certa stipendia, & possunt fieri conventiones; quia de corporali, ac venali opere pactio fit, non de re spirituali v. simo.*

CONSECTARIUM VII. Simonia est vendere, aut emere aliquid temporale in-

trincefè annexum rei spirituali , & insep-
 arabile à re spirituali ; quia sicuti illud tem-
 porale non potest separari à re spirituali ;
 ita nec vendi ; & ita simonia est vendere ista
 omnia , v. g. corporis laborem , absolutè ne-
 cessarium ad celebrationem missæ , ad cele-
 brationem Sacramentorum , ad recitationem
 officii.

CONSECTARIUM VIII. Simonia est
 vendere aut emere temporale se habens con-
 sequentè ad spirituale ; quia cum spirituale
 præcedat temporale , adè ut temporale non
 possit haberi , nisi priùs habeatur spirituale ,
 qui emit aut vendit temporale , censetur
 paritè vendere spirituale. Et ita simonia est
 vendere ista omnia. 1°. Beneficia , seù jus
 percipiendi redditus ecclesiasticos ; quia in
 beneficiis spirituale præcedit temporale ; id
 enim quod antè omnia concipitur in bene-
 ficio est potestas spiritualis exercendi sacra.
 2°. Jus quod quis habet post Professionem Re-
 ligiosam ut nutriatur in Monasterio. 3°. Jus
 quod beneficiatus habet nominandi ad benefi-
 cia quia utrumque jus fundatur in aliquo spi-
 rituali. Hanc Doctrinam tradit D. Thom. 2. 2.
 q. 100. a. 2. in cap. *Aliquid potest esse anne-
 xum spiritualibus . . . Sicut ex spiritualibus ,
 dependens sicut habere beneficia Ecclesiastica ,
 dicitur spiritualibus annexum , quia non com-
 petit nisi habenti officium Clericale ; unde hu-
 jusmodi nullomodo possunt esse sine spiritualibus ;
 & propter hoc ex nullomodo vendere licet ;
 quia eis venditis , intelliguntur etiam spiritua-
 lia venditioni subijci.*

§. VIII.

In quo magis adhuc in particulari percurruntur casus, in quibus committitur Simonia, vel mentalis, vel conventionalis, vel realis.

DE SIMONIA

Ex parte dantium spirituale pro temporali.

PROPOSITIO I. *Fundamentalis illata ex principiis superius positis.*

Quicumque dat, vel exercet aliquid spirituale propter commodum temporale, principaliter intentum, sive illud temporale sit munus à manu, sive à lingua, sive ab obsequio; simoniam committit; quia non gratis dat rem spiritualem quam habet, sed eam confert ob temporale emolumentum.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. *De munere à manu.*

Illi omnes simoniam committunt per munus à manu, qui dant aliquid spirituale, ut obtineant temporale; quia per spirituale parant sibi viam ad temporale: & ita isti omnes sunt simoniaci.

I*. Fideles omnes, si qui sint, qui exercent actus virtutum, pietatis, & religionis principaliter propter commodum temporale, qualis sunt hypocritæ, qui fictâ pietate extorquent eleemosinas, aliaque commoda temporalia.

2°. Omnes, qui recitant officium, cantant in choro, celebrant missam principaliter propter emolumentum temporale, v. g. propter retributiones; *Si quis enim istiusmodi distributiones respiciat, quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit, & mortaliter peccat*, inquit D. Thom. quodlibeto. 8. q. 6. a. 10.

3°. Clerici omnes, sive Sacerdotes, sive Episcopi, qui exercent potestatem ordinis, vel jurisdictionis principaliter propter emolumentum temporale, v. g. prædicant propter retributionem temporalem, conferunt Sacramenta propter pecunias, consecrant Ecclesias, dant Indulgentias, & dispensationes propter utilitatem temporalem sibi obviamientem; *Sacerdotes, qui de pretio paciscuntur, ut missas celebrent, & Parochi, qui pro Sacramentorum administratione, vel funere, vel sepulturis, exigunt præter ea, quæ de jure, vel consuetudine laudabili conferuntur, habeantur simoniaci: non autem si oblata recipiant*, Concil. Rhemense ann. 1583. cap. de simoniacis.

4°. Clerici omnes, qui denegant conferre Sacramenta, sepulturam, &c. Veriti ne non recipiant retributiones temporales. Ità Concil. Illiberitanum, Canon. 48. *Emendari placuit, ut qui Baptsantur nummos in concham non mittant (ut fieri solebat) ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur*. Et Gelasius. 1. Epistola ad Episcopos per Lucaniam & Siciliam constitutos c. 5. ait: *Baptsandis, consignandisque fidelibus pretia nulla præfigant*. Idem vetat Concil.

Lateran. secundum & Londinense.

Et Paulus V. in suo Rituali vetat ne quavis ex causâ ministri Ecclesiæ aliquid directè, vel indirectè exigant, aut petant in Sacramentorum administratione, sed Sacramenta gratis administrent.

5°. Confessarii, qui pœnitentibus non imponunt salutare pœnitentias, sed in temporale aliquod donum sibi confessariis obtenturum immutant, quod quidem expressè prohibet jus Canonicum cap. 14. extra. de simoniâ, ubi sic habetur: *Nemo præsbitorum xenium, vel emolumentum quodlibet temporale, imò spirituale detrimentum, à quocumque publicè peccante accipiat, ut Episcopo vel ministris ejus peccatum illius celet . . . Quia simoniacum est, cui consentire videtur Scriptura dicens: Declinaverunt post avaritiam, acceperunt munera, & perverterunt judicium. 1°. Reg. cap. 8. & rursus Paulus ait, loquens de avaris ministris: Universas domos subvertunt, docentes, quæ non oportet turpis lucrû gratiâ. Ad Tit. cap. 1. v. 11. Idè Concilia prohibent, ne Confessarii imponant pro pœnitentiâ missas ab ipso confessario celebrandas. Prohibemus, inquit Synodus Cantuariensis, anno 1195. Canon. 3. *Ut Sacerdos laico ad pœnitentiam venienti obtentu cupiditatis, injungat, ut missas celebrari faciat. Et Synodus Londinensis 1200. Canon. 4. Idem vetat his verbis: Adjicimus ad Sacerdotum cupiditatem refrenandam, ut missæ non injungantur in pœnitentiam his, qui non sunt Sacerdotes.**

6°. Collatores omnes beneficiorum quo-

rumlibet, qui conferunt beneficia ob pecuniam vel aliud quodcumque temporale acceptum, vel accipiendum. *Qui conferunt beneficium hoc pacto vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideant, simoniam committunt*; D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 5. ad 2.

7°. Qui permutant beneficia ob terrenum commodum alterius partis. *Est in permutatione simonia, si pro aliquo terreno commodum utriusque, vel alterius partis fiat*, ait D. Thom. in 4. Dist. 25. q. 3. a. 3. ad 8.

8°. Qui conferunt beneficia sub onere pensionis, quandò non habent jus ponendi onus pensionis; Ità Concilium Rothomagenſe: *Omnes pensiones, & portiones super beneficiis, in quibus non intervenit ſedis Apoſtolice approbatio illicitas & ſimoniacas declaramus*. De Episcoporum officiis num. 2.

9°. Qui paciscuntur de redimenda pensione; Ità Concil. Rothomagenſe ann. 1581. num. 17. *Resignationes quorumcumque beneficiorum cum reservatione fructuum, vel pensione, quæ postea ab iis, qui resignationes illas acceptaverint, præſenti pretio ſinè ſedis Apoſtolice autoritate redimitur, ſimoniacas eſſe judicamus*.

10°. Qui habentes jus ponendi pensionem, dant beneficium sub onere pensionis non Clerico digniori, per quem dignius Ecclesiæ ministraretur, sed Clerico ditiori, per quem pensio exactius persolvatur.

Prædicti omnes simoniam contrahunt per munus à manu; quia utuntur aliquo spiritali, quod habent, ut ad temporale, quod non habent, perveniant.

CONSECTARIUM II. *De munere à lingua.*

Illi omnes simoniam committunt per munus à lingua, qui dant aliquid spirituale, quod habent, principalitèr proptèr preces urgentes, & rationem pretii habentes; quia per illud spirituale viam sibi parant ad commodum temporale, quod evenit ex illis precibus. Dixi preces habentes rationem pretii; quia aliundè preces, quamvis nefariæ, inquit Cajet. inducunt quidè peccatum, sed non simoniam; quia ubi non intervenit pretium, ibi non est simonia. Sic isti omnes sunt simoniaci.

1°. Fideles illi hypocritæ, qui sperantes commodum temporale ex ficta pietate eventurum, simulant pietatem, coram confessariis, coram magnatibus, à quibus temporale expectant se recepturos. Sic enim spirituali parant sibi viam ad temporale, nihil pietatem curant; sed solum commodum terrenum intendunt.

2°. Clerici illi hypocritæ, qui actus Clericales exercent, v. g. intersunt choro, recitant officium, &c. non ut Deum precibus flectant, vel mentem oratione nutriant; sed solum ne retributionibus temporalibus priventur, vel ut favorem eorum ineant, à quibus sperant se ad dignitates ecclesiasticas evehendos; spiritualibus enim exercitiis quarunt sibi parare viam ad temporales redditus.

3°. Sacerdotes illi timidi, qui veriti, ne priventur commodo aliquo temporali, vel

emolliti precibus, vel deterriti minis, Sacramenta conferunt indignis, aut omittunt ea, quæ sui sunt officii; sic enim per spirituale, quod male exercent, parant sibi viam ad temporale.

4°. Episcopi illi timidi, qui veriti pariter, ne priventur aliquo temporali emolumento, aut minis territi, aut precibus carnalibus inflexi, indignos ad ordines promovent, & vigorem ecclesiasticæ disciplinæ omninò languescere permittunt.

5°. Collatores beneficiorum, qui moti non dignitate personæ, sed precibus urgentibus, vel per suffragium, vel collationem, vel per confirmationem, vel per nominationem aliquem ad beneficium evehunt, vel procurant evehendum. Quandò; inquit D. Thom. *Fiunt preces pro indigno, vel ab aliquo potente, qui periculum comminatur, quæ dicuntur preces armatæ, manifestè simonia committitur.* In 4. Dist. 25. q. 3. a. 3. ad 4. Simoniaci quoque sunt collatores, qui conferunt beneficia, ut apud magnates gratiam obtineant. *Qui autem, inquit D. Thom. ibidem, dat aliquid spirituale pro favore, vel laude acquirenda, non est dubium, quin simoniam committat.*

6°. Prædicatores, qui ob preces minasve urgentes non arguunt populos, sed eorum vitiis adulantur.

7°. Fideles omnes, qui ob preces urgentes, non deferunt publicos peccatores ad superiores.

Hi omnes simoniam committunt per munus à lingua; quia dant spirituale, quod

habent, ut perveniant ad temporale, quod non habent; nimirum ad favorem magnatum.

CONSECTARIUM III. *De munere ab obsequio.*

Illi omnes simoniam committunt per munus ab obsequio, qui dant aliquid spirituale, quod habent, propter obsequium temporale, quod accipiunt, vel quod sperant se accepturos; quia per spirituale, quod habent, parant sibi viam ad temporale, quod non habent; & ita isti omnes sunt simoniaci.

1°. Fideles omnes, si qui sint, qui exercerent actus virtutum ob aliquod obsequium temporale, quod ab aliis acciperent, v. g. confiterentur, reciperent Eucharistiam, ut exigerent ab aliquo ministerium temporale.

2°. Clerici omnes, qui exercerent actus Clericorum, v. g. recitarent officium, adessent choro in gratiam aliquorum, qui eis obsequium temporale ministrarent, v. g. colerent eorum vineas, agros, &c.

3°. Sacerdotes omnes, qui exercerent actus Sacerdotales, v. g. conferrent Sacramenta ob obsequium temporale, quod acciperent, v. g. darent Sacramenta rusticis sub ea conventionem, ut isti agros, vineas eorum colerent; magnatibus ea conditione, ut lites ipsorum peragerent.

4°. Collatores beneficiorum, qui conferunt beneficia, ut obsequium temporale accipiant, v. g. curati, qui dant beneficia Vicariis ad solvenda stipendia Vicariatus,

Episcopi, qui dant beneficia famulis suis, aut filiis famulorum, ad solvenda stipendia famulatus; magnates, qui curant dari beneficia pedagogis filiorum suorum, aut filiorum, consanguineorum, & amicorum ad solvenda stipendia pedagogis. *Si quis beneficium propter obsequium, vel impense servitutis mercedem conferat simoniacus esse censetur.* Concil. Remense ann. 1583. titulo 23.

Hi omnes simoniam contrahunt; quia dant spirituale quod habent, pro obtinendo temporali, quod non habent.

DE SIMONIA

Ex parte dantium temporale pro obtinendo spirituali.

PROPOSITIO II. *Illata ex principiis superius positis.*

Quicumque dat temporale, quod habet pro obtinendo spirituali, quod non habet, sive illud temporale sit munus à manu, sive munus à lingua, sive munus ab obsequio, simoniam committit; quia non gratis obtinet spirituale, quod non habebat, sed ad illud viam sibi parat per temporale.

Consectaria hujus Doctrinae.

CONSECTARIUM I. *De munere à manu*

Simoniam committit per munus à manu, quicumque dat aliquid temporale pretio æstimabile pro obtinendo spirituali; quia

parat sibi viam ad spirituale per temporale & ita isti omnes simoniam contrahuut.

1°. Qui dant pecuniam, fundum, &c. ut obtineant vi emptionis rem spiritualement, qualis est, potentia ordinis, potentia jurisdictionis, &c.

2°. Qui dant fundum, pecuniam, &c. ut obtineant rem spiritualement, v. g. beneficium, potestatem ordinis, &c. quocumque prættextu dent, si per talem pecuniarum largitionem parent sibi viam ad rem spiritualement, quam non habent.

3°. Qui dant pecunias pro redimenda lite de re spirituali, v. g. de beneficio nondum legitime possessio, ita Alexander III. cap. *Cum pridem*. De pactis. *Cum quidam Clericus, & Monachi pro causa, que inter illos vertebatur super Ecclesia, ad nostram presentiam accessissent, inter se convenerunt, quod eidem Clerico pro expensis, quas fecerat, tres Marchæ argenti solverentur, & sic cederet. Cumque compositionem ipsam autoritate Pontificia peterent confirmari, nos eam non duximus admittendam pro eo, quod videbatur pravam illicitæ pactionis speciem continere.* Et idem Alexander 3. Super eo quod quaesisti, utrum de Ecclesiastico beneficio in legitimum deducto possit fieri transactio, tale damus responsum, quod transigi super re sacrâ & litigiosâ non potest. Etenim res sacræ, ut possideantur aliquo dato, vel retento, sive promisso, speciem credimus habere simoniæ. cap. *super eo*. Extra de transactionibus.

Sic litigantes super alicujus beneficii possessorio, inter se convenire absque simonia

non possunt, ut pacis causa alter beneficium, alter pensionem super beneficio habeat; quia sic paratur via ad beneficium per aliquod temporale; & quia hujusmodi conventiones litis sedandæ causa, tunc solum permittuntur, dum fiunt autoritate, vel Episcopi, vel judicum arbitrariorum. Vide Fagnianum in cap. *Nisi essent*. De Præbendis lib. 3. decret. num. 130. ubi notat. 1°. Quod hæc compositio debet sumere initium, non quidem ex pactione partium, sed ex jussione judicum non ordinariorum, qui debent secundum rigorem juris judicare, sed arbitrarium, qui tamquam amicabile compositores pronuntiant. 2°. Quod debet hæc compositio fieri pro bono pacis, quod si nulla subsit causa, non potest pensio imponi. 3°. Quod ut pensio illa sit duratura tantum ad vitam litigantis, & non transitura ad ejus successorem. Itaque in praxi melius, & tutius est, ut omnes illæ conventiones autoritate Papæ confirmentur.

4°. Qui fundat beneficium, v. g. Præbendam, Canonicatum, ea conditione, vel pacto, ut illud idem beneficium ei postea conferatur, ita Innocentius III. *Si quis Clericus cum conditione, vel pacto, largiatur aut offerat bona sua Ecclesiæ, ut postmodum illa bona pro Præbendâ detineat, & in Canonicum admittatur. Hujusmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit sine vitio simoniæ; cum in talibus, omnis pactio, aut conventio cessare debeat juxta canonicas sanctiones.* Extra cap. *inas*. De simonia.

5°. Qui oppignorat redditus fundi sui,

aut beneficii sui, ut ei beneficium conferatur.

6°. Qui non dat præsentem pecuniam, sed dat schedulas obligatorias, vel promittit pecunias se mutuo daturum.

7°. Qui promittit solvere resignanti expensas factas pro beneficio.

8°. Qui promittit collatori se daturum aliquam partem reddituum beneficii, se daturum pensionem, se non exacturum decimas è bonis collatoris, se daturum aliud beneficium.

9°. Qui capaces beneficii, accipiunt illud cum onere expresso, vel implicito illud conferendi alicui personæ designatæ, vel designandæ ab ipso collatore, v. g. nepoti, amico, quando capax factus fuerit beneficii recipiendi. Ità in Concil. Remensi supra citato cap. de simoniacis.

10°. Qui dant, aut promittunt aliquid temporale pro institutione, aut admissione ad possessionem. Ità Concil. Later. sub Alexan. 3. can. 7. *Horribile nimis est; quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere; ita ut pro Episcopis, pro Abbatibus, seu quibuscumquè personis Ecclesiasticis ponendis in sede, & introducendis presbiteris in Ecclesiam aliquid exigatur.* Consuetudo hæc quantumvis inveterata non excusat.

Hi omnes simoniam committunt; quia dant temporale, quod habent, ut obtineant spirituale, quod non habent; & quia parant sibi viam ad rem spiritualem per aliquid temporale.

CONSECTARIUM II. De munere à lingua.

Simoniam committit per munus à lingua, quicumque utitur urgentibus, & pretio aestimabilibus precibus ad obtinendum aliquid spirituale; quia non accipit gratis spirituale, quod non habet. Ideò ait Chrysostomus. *Cogita, quid acciderit Simoni mago; quid autem refert, si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas, multaque machinaris.* Et ita isti omnes simoniam committunt.

1^o. Ille, qui dignus alicujus rei spiritualis, v. g. dignus, qui Sacramenta recipiat, dignus, qui mittatur ad prædicandum, dignus, qui eligatur, præsentetur, confirmetur in aliquo beneficio, recipiatur in aliqua religione, adhibet ad obtinendum spirituale, quod meretur preces adulatorias, urgentes, & non solum manifestantes meritum personæ, sed insuper quamdam necessitatem inferentes collatori rei spiritualis; quia non accipit gratis rem spiritualem, sed per preces urgentes. Unde ait D. Thom. *Conferre beneficium ad preces alterius, licet illæ fiant pro digno, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum, simonia est saltem in intentione* 2. 2. q. 100. a. 5. ad 3.

2^o. Qui pro se indigno, vel pro alio indigno adhibet preces urgentes; quia non accipit gratis rem spiritualem. Et qui pro se, vel pro alio indigno adhibet preces urgentes, præter simoniam, peccatum committit acceptionis personarum; quia causa est,

cur indignus elevetur ad consequendas res spirituales.

CONSECTARIUM III. *De munere
ab obsequio.*

Simoniam committit per munus ab obsequio, quicumque adhibet obsequium temporale, ut aliquid spirituale consequatur; quia non accipit gratis spirituale, quod non habet, sed ad illud per aliquod temporale pervenit. Et ita isti omnes simoniam committunt

1°. Famuli magnatum, pedagogi, &c. qui suas impendunt curas, tum in ministrando rei domesticæ, tum in docendis filiis magnatum, nepotibus Episcoporum, sub spe consequendi aliquod beneficium. *Infelix Clericus*, inquit Damianus opusculo 22. cap. 2. *Quot servitia fucate humilitatis exhibuit, quasi tot pecuniarum summas appendit.*

2°. Sacerdotes, qui exhibent Episcopis famulatum temporalem, expectantes pro retributione aliquid spirituale, v. g. beneficium, munus prædicandi, &c. *Si verò servitium sit inhonestum*, inquit D. Thom. *Vel ad carnalia ordinatum, putà quia servit Prælato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel patrimonii sui, vel ad aliquid hujusmodi, erit munus ab obsequio, & est simoniacum.* 2. 2. q. 100. a. 5. ad 1.

3°. Sacerdotes Vicarii, qui serviunt curatis, expectantes pro retributione se ab iisdem curatis recepturos aliquod beneficium.

4°. Religiosi, qui exhibent famulatum

temporalem suis superioribus, expectantes se ab illis nominandos, eligendos ad aliquam prælaturam.

5°. Religiosi, qui munera pretio aestimabilia eisdem superioribus conferunt, vel iis qui vocem habent in capitulo, ut iisdem muneribus eos alliciant, ut suffragium in sui favorem emittant, &c. Hi omnes simoniam committunt; quia per aliquid temporale perveniunt ad aliquid spirituale.

§ IX.

De casibus in quibus videtur committi simonia, & tamen non committitur.

De munere à manu.

PROPOSITIO I. Quicumque dat temporale pro spirituali, vel spirituale pro temporali; si det illud exclusa omni obligatione, excluso omni contractu oneroso, non peccat, nec est simoniacus.

Probatur 1°. Ex responso Alexandri 3. dato Strigonensi Archiepiscopo, extra. de simonia cap. *Et si quæstiones*, ubi innuitur, quod quotiès munera voluntatem movere, & inclinare, animum què allicere non possunt. Totiès simonia non inducitur.

2°. Ratione. Simonia consistit in contractu oneroso, quo venditur, aut emitur aliquid spirituale, vel aliquid spirituali annexum. Contractus autem tria importat. 1°. Intentionem. 2°. Conventionem. 3°. Executionem; Ex eo enim, quod humanus ac-

tus est, intentionem requirit, ut fiat, hoc est, ut intendat quis vendere, aut emere. Ex eo quod commutatio voluntaria est, oportet partes convenire utrinquè de pretio, vel implicitè vel explicitè. Ex eo quod actus talis exterior ad alterum est, exigitur ad sui consummationem datio, & acceptio rei, quæ venditur, & pretii, quod impenditur; quia emptor acquirit rem, venditor acquirit pretium. Ità Cajet. ergo simonia non committitur, quoties datur, aut accipitur aliquid exclusâ omni pactione tam explicitâ, quàm implicitâ.

Conseſtaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Non est simonia dare, vel recipere aliquid temporale pro spirituali motivo gratitudinis, modò illud fiat excluso omni contractu oneroso, & obligatorio, & post gratis collatum spirituale.

CONSECTARIUM II. Non est simonia dare, vel recipere aliquid temporale pro spirituali motivo liberalitatis, modò illud fiat excluso omni contractu oneroso, & obligatorio, postquam gratis collatum est spirituale.

CONSECTARIUM III. Non est simonia dare, vel recipere aliquid temporale pro spirituali motivo eleemosinæ, modò illud fiat excluso omni contractu oneroso. *Novèrint omnes Christiani non libertatis esse, sed debiti, ministranti Sactamenta, atquè alia spiritualia stipendium aliquod solvere, Concil. Rothomagensis anno 1581, cap. de curatorum officis num. 26.*

CONSECTARIUM IV. Non est simonia dare aliquod temporale pro redimenda injusta vexatione ; *Postquam* , inquit D. Thom. 2. 2. q. 100 a. 2. ad 5. *Jus in rebus spiritualibus alicui est acquisitum , licet per pecuniam injusta impedimenta removere.*

Sic possum dare temporale , ut vitem , ne mihi infligatur injusta excommunicatio , vel ut injustè excommunicatus absolvar.

Sic possum dare temporale , ut extinguam litem injustam circà beneficium , quod legitime , & pacificè possideo.

CONSECTARIUM V. Non est simonia dare aliquod temporale , aut illud recipere , titulo retributionis taxatæ ab Ecclesia , post collationem rei sacrae , modò non interveniat contractus onerosus , & obligatorius. Si quid verò nomine elemosinae , aut devotionis studio , peracto jam Sacramento à fidelibus spontè offeratur , id licitè pro consuetudine locorum minister accipere poterit , inquit , Paulus 5.

CONSECTARIUM VI. Immò non est simonia exigere coram judice retributiones taxatas ab Ecclesia , modò id fiat post collationem rei sacrae , quia hoc non fit vi contractus onerosi , sed ex vi consuetudinis justæ.

Sic licet exigere retributiones taxatas , post Sacramenta collata , minimè antè Sacramenta collata. *Accipere , aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia , secundum ordinem Ecclesie , ut consuetudinem approbatam , licitum est ; ita tamen quod desit intentio emptionis , & venditionis , & quod ab*
invitis

inuitis non exigatur per spiritualium subtractionem, hoc enim haberet quamdam venditionis speciem; gratis tamen spiritualibus datis, licitè possunt statuta, & consuetæ oblationes, & quicumque alii proventus, exigi à nolentibus, & valentibus solvere, autoritate superioris interveniente. D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3. in corpore.

Simoniam tamen redoleret se præbere difficilem in conferendis Sacramentis aliisque rebus sacris ministrandis, præcipuè ergà pauperes, & eos avaritiæ arguere, qui dona non offerunt. Immo juxta Raymundum simoniaca censenda sunt, statuta, quibus dicitur, quod non fiat processio, nisi tanta pecunia detur, quòd talis crux non deferatur, nisi talis retributio detur; quia (ut ait Tertullianus in Apol. cap. 39. *Nique enim pretio ullo res Dei constat. . . Nemo compellitur dare sed spontè confert.*

CONSECTARIUM VII. Non est simonia dare, vel recipere, immò exigere aliquod temporale titulo pœnalitatis & multæ, v. g. exigere multam pecuniariam ab eo, qui dispensatur in votis, in impedimentis matrimonialibus; quia hoc non fit titulo contractus onerosi: Ecclesia enim illud permittit, non ut vendens spiritualia, sed ut mulctans, & puniens aliquà pœnâ eos, qui volunt eximi à lege communi, & gaudere privilegiis. *Pecunia* (inquit D. Thom.) *non* *exigitur ab eo, qui absolvitur, quasi pretium absolutionis; hoc enim esset simoniacum, sed quasi pœna culpæ præcedentis, pro qua fuit excommunicatus. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 3.*

CONSECTARIUM VIII. Non est simonia, si secluso omni pacto detur, aut accipiatur aliquod temporale titulo stipendii honorarii, sive hoc fiat pro celebratione missæ, sive pro prædicatione divini verbi, sive pro ministerio Vicariatus, sive pro mortuorum sepultura, &c. *Facere pactiorem*: de celebrandâ missâ esset *Simoniacum semper; si tamen Clericus non habet alios sumptus, & non teneatur ex officio missam cantare, potest accipere denarios, sicuti conducti Sacerdotes faciunt, non quasi pretium missæ, sed quasi sustentamentum vitæ.* in 4. Dist. 25 q. 3. a. 2. ad 4. In hoc D. Thom. secutus est usum sui temporis.

Quæ fuerit Ecclesiæ consuetudo circa retributionem pro celebratione missarum, paucis accipe.

Temporibus Apostolorum fideles offerebant panem, & vinum pro sacrificio, & quod supererat, cedebat in usum ministrorum, & pauperum, qui mos viget adhuc in missis defunctorum: non solum panis & vinum offerebatur, sed & alia, ut constat ex Can. 4. Apostolorum. *Offerrî non liceat aliquid ad altare præter novas spicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & Thymiama, idest incensum, tempore quo sancta celebratur oblatio*: Postea loco panis, & farinæ, denarii oblatis sunt. *Statutum est denarios formari, ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret, inquit Honorius Augustodunensis in gemma animæ cap. 58. Tandem usu statutum est, ut pro celebratione certum statueretur stipendium, & à*

quibusdam Episcopis taxatum est honorarium pro missâ celebratâ, quod honorarium citrà simoniam accipitur.

CONSECTARIUM IX. Citrà ullam simoniam Papa potest annatas pecuniarias recipere, ad sustentanda onera Pontificatus, vel ob alias rationes, sicuti in veteri lege num. 18. Summo Sacerdoti offerebantur decimarum decimæ.

CONSECTARIUM X. Quicumque habens spirituale, confert illud dignioribus, principaliter ob gloriam Dei, minus principalitèr ob emolumentum temporale sibi obventurum, modò absit omnis pactio, non peccat, nec est simoniacus. Non peccat; quia, ut lex jubet, dat spirituale dignioribus: non est simoniacus; quia ad simoniam incurrendam requiritur, ut interveniat conventio, quæ ibi nulla est.

Et ità, nec peccat, nec est simoniacus, qui dat spiritualia hominibus, expectans. 1°. Æternam retributionem à Deo. 2°. Temporalem retributionem ab hominibus; quippe (ut ait Christus) *Dignus est operarius mercede suâ*; Luc 10. v. 7. Et æquum est (ut ait Paulus) I. Cor. 9. v. 11. Ut qui spiritualia seminamus, metamus temporalia; nemo enim, *militat stipendiis suis*. I. Corint. 9. v. 7.

Dignoscitur autem, quod homo intendat primariò gloriam Dei, & secundariò tantùm temporale, quandò pari affectu confert spiritualia pauperibus, & divitibus, nullam personarum acceptionem faciens, æquè contentus tenui stipendio, quàm pingui, æquè ardentèr laborans in vinea Domini, sive of-

seratur, sivè negetur honorarium, exemplum Christi imitatus, cui magis placuit pauper vidua, quæ duo minuta in Gazophilacium miserat, quàm potentes divites, qui ingentes thesauros dederant.

MONITUM I. In omnibus casibus prædictis, in quibus, scilicèt, titulo gratitudinis, liberalitatis, eleemosinæ, retributionis, honorarii, injustæ vexationis, pœnalitatis consuetudinis approbatæ, datur aut recipitur ex pacto aliquid pretio æstimabile, est simonia; quia quotiès in rebus spiritualibus conferendis, aut recipiendis ex pacto inducitur vis obligatoria, totiès intervenit simonia. Illud Gratianus multis Canonibus ostendit I. Caus. q. 3. 1º. Refert autoritatem Greg. Can. *audivimus*, ubi sic habetur: *à sacrilegio quoque hoc facinus non dispar dixerim; cum id, quod sponte, & sacre deliberationis arbitrio gratis fieri debuit, sub pecuniæ pactione causetur.* Et Can. *ea quæ*. Ibidem dicitur: *Quidquid ergo, vel in Sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel data, vel promissâ pecuniâ acquisitum est; nos irritum esse, & nullas unquam vires habere censemus.* Greg. dicit passim declinandum est ne sub obtentu eleemosinæ peccata simoniacæ hæreseos perpetremus, & Conc. Tolet. ann. 1324. ait: *Prohibemus, ne quis presbiter, pro missis celebrandis (Idem dic de quolibet alio spirituali) Pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem, sed gratis accipiat, si aliquid per facientem missas celebrare oblatum sibi fuerit charitati vè, absquè pacto, & conventionè quâcumque.* Can. 6. & Triden. ait sess. 22. de-

creto de observandis, & evitandis in celebratione missæ: *Atquæ ut multa paucis comprehendantur, in primis quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum condiciones, pacta, & quidquid pro missis celebrandis datur - nec non importunas atquæ illiberales elemosinarum exactiones, potius quàm postulationes, aliaque ejusmodi, quæ à simoniaca labe, vel ceriè à turpi quæstu non longè absunt, omninò prohibeant.*

MONITUM II. Item in prædictis casibus intervenit, si non simonia, saltem turpis quæstus, quotiès pro spiritualibus collatis in receptione temporalium intervenit avaritiæ affectus; quia gregem Christi pacimus non spontaneè secundum Deum, sed turpis lucri gratià, ut ait Petrus. 1. Epist. 5. v. 2. *Et priorem facimus cibum, & posterius regnum Dei*, ut ait Aug. lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 16. Totiès autem intervenit avaritiæ affectus, ut loquitur Alvarus. Pelagius de planctu Ecclesiæ. cap. 5, *Quotiès collationem rerum spiritualium, ut quæstuariam, habet Clericus. Quotiès de celebratione missarum, & collatione spiritualium artem facit de pane lucrando, quotiès ad sancta accedit, sicut artifex ad artificium, lucri scilicet gratià, quærens (ut ait Bonavent) Non cælestem panem, sed terrenum, non spiritum, sed lucrum, non Dei honorem, sed suam ambitionem, non salutem animarum, sed quæstum pecuniarum.* Tract. de præparatione ad Missam.

MONITUM III. Si gratuita etiàm retributio fit vetita ab Ecclesia, peccatum esset.

cam dare vel accipere : Ideò licet tempore Gregorii licitum esset accipere gratis oblata pro collatione ordinum ; illud jam est illicitum ex decreto Tridentini veterem illam consuetudinem abrogantis sess. 21. cap. 1. de reform. *Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet , nihil pro collatione quorumcumque ordinum , etiam Clericalis Tonsuræ , nec pro litteris dimissoriis , aut testimonialibus , aut pro sigillo , nec aliâ quacumque de causâ etiam sponde oblatum , Episcopi & alii ordinum collatores , aut eorum ministri quovis prætextu accipiant.* Decima tamèn pars aurei potest dari notario , si salarium non habeat aliundè modò hinc Episcopo nihil lucri vel directè , vel indirectè obveniat. Idem dicitur de examinadoribus , quandò fit examen , ut eligatur dignior ad Ecclesiam Parochialem dandam in concursu. *Caveant , ne quidquam proفسus occasione hujus examinis nec antè , nec post recipiant ; alioquin simoniæ vitium tam ipsi , quàm alii dantes incurrant , à qua absolvi nequeant , nisi dimissis beneficiis , que quomodocumque etiam antea obtinebant , & ad alia in posterum inhabiles reddantur.* Sess. 24. cap. 18. Item Episcopis prohibetur aliquid accipere etiam titulo stipendii pro dispensationibus , aliisvè functionibus Ecclesiasticis : cap. *Jacobus de simonia.*

De munere à Lingua.

PROPOSITIO II. Quicumque adhibet preces non urgentes , sed solum manifestan-

tes meritum, & dignitatem personæ, quæ proponitur, ut ei aliquid spirituale præ alio conferatur, non est simoniacus, nec ibi ullum reperitur peccatum.

1°. Nullum ibi committitur peccatum; quia licitum est manifestare meritum personarum utilium Ecclesiæ, immò illud est necessarium.

2°. Nulla ibi est simonia; tum quia non est conventio; tum quia non est simonia in precibus, nisi quando non attenditur. *Ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum, ut loquitur D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 5. ad 3,*

Illud idem docet Gratianus cap. 1. q. 1. post. Can. 122. *Non quorumlibet precibus ordinationes factæ falsæ dijudicantur; sed hæ demùm, quæ precibus ordinandi, vel ejus amici, non spirituali, sed carnali affectu porrectis, fiunt, cum aliàs futuræ non essent, quas non charitas interveniens, sed ambitio supplicans extorquet.*

Conseſtaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Non peccat, nec simoniacus est, qui manifestat meritum alterius, ut ei conferatur beneficium, præbenda, prælatura, potestas prædicandi, conferendi sacra; modò aliundè nullum sit prævium motivum vitians illam actionem.

CONSECTARIUM II. Non peccant curati, qui exhibent, & manifestant Episcopis Clericos aptos ad beneficia, ad conferenda Sacramenta, ad concionandum, &c.

404 MORALIS CHRISTIANA
Immò benè agunt, modò non fit prava intentio.

CONSECTARIUM III. Non peccant superiores religiosi, qui Episcopis exhibent religiosos sui ordinis idoneos ad prædicandum, & conferendam Sacramenta; quia illi omnes non adhibent, ut supponimus preces urgentes, immò benè agunt, modò non fit prava intentio; quia hi omnes in prædictis casibus nihil aliud intendunt, quàm offerre bonos operarios, sequentes in hoc præceptum Christi. Luc. 10. 2. *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.*

An verò aliquis possit exhibere se ipsum Episcopis, & offerre se ad beneficium recipiendum, ad conferenda Sacramenta, ad concionandum, &c. Si ducatur puro, & sincero zelo animarum, illud potest; imitatur enim Prophetam Isaiam dicentem. 6. v. 8. *Eccè ego mitte me;* sed cavendum maximè, ne spes lucri latitet sub specie zeli.

De munere ab obsequio.

PROPOSITIO III. Quicumque exhibet obsequium honestum, & spirituale principalitèr propter gloriam Dei, & secundariò propter emolumentum temporale, non peccat, nec est simoniacus.

Probatum 1°. Non peccat, cum per se primò intendat gloriam Dei. 2°. Non est simoniacus, cum nullum ibi interveniat pactum.

2°. Quicumque dat spirituale dignioribus, propter obsequium honestum, & spirituale

redditum Ecclesiæ, non peccat, nec est simoniacus, sed è contrà benè agit.

Probatur 1°. Non peccat, cum tamquam procurator fidelis provideat Ecclesiæ bonos operarios, eosque remunerans temporali illa retributione, sequitur illud Christi: Luc. 10. v. 7. *Dignus est operarius mercede sua.*

2°. Non est simoniacus; simonia enim consistit in venditione, & emptione rei sacræ, hic autem non intervenit. Emptio vel venditio.

Utramque prædictæ propositionis partem confirmat jus canonicum his verbis: Can. *Ecclesiasticis. 12. q. 2. Ecclesiasticis utilitatibus desudantes, ecclesiasticâ dignum est remuneratione gaudere, ut qui se voluntariis obsequiorum necessitatibus sponte subjiciunt, dignè nostris provisionibus consolentur.*



Consectaria hujus doctrine.

CONSECTARIUM I. Clericus, qui servit altari, v. g. prædicat, audit confessiones; servit Episcopis in rebus pertinentibus ad utilitatem Ecclesiæ, non est simoniacus, licet ei ob retributionem talis obsequiï obveniat beneficium; Ecclesiasticis utilitatibus deservientes (inquit D. Thom.) Dignum est Ecclesiasticâ remuneratione gaudere. *Si aliquis Clericus alicui Pralato impendat obsequium honestum & ad spiritualia ordinatum, putà ad Ecclesiæ utilitatem, vel ministrorum ejus auxilium, ex ipsa devotione obsequiï redditur dignus beneficio Ecclesiastico. 2. 2. q. 100. 2. 5. ad 1.*

CONSECTARIUM II. Religiosus, qui exactè servat regulam, morem gerit superiori in omnibus, non est simoniacus, licet ob retributionem talis obsequii ei obveniat Prælatura

CONSECTARIUM III. Qui dat Sacramenta dignioribus ob zelum, quem videt in ipsis, non peccat, nec est simoniacus, sed sanctè se gerit.

CONSECTARIUM IV. Qui dat beneficium Clericis, v. g. Vicariis, attendendo ad obsequium spirituale, quod exhibuerunt Ecclesiæ, non peccat, nec est simoniacus.

CONSECTARIUM V. Episcopus, qui dat beneficium Sacerdoti, quia ei ministravit in visitanda Diœcesi, in concionibus, in missionibus, non peccat, nec est simoniacus.

CONSECTARIUM VI. Episcopus, qui dat stationes ad prædicandum, Sacerdotibus, Religiosis, &c. qui laborant spiritualitè in Diœcesi, potiùs quàm extraneis, nec est simoniacus, nec peccat.

In prædictis casibus nulla est simonia; quia nullum est pactum, immò est sancta administratio rerum spiritualium; quia res sacræ conferuntur juxtà meritum dignioris personæ.

§ X.

De Simonia fiduciaria.

PROPOSITIO I. Simonia fiduciaria incurritur, quotiès quis confert beneficium,

ea conditione, ut ille, aut alteri illud idem beneficium, aut sibi aliud conferat, aut beneficii fructus, aut partem fructuum ab alio percipi sinat.

Probatur 1°. Script. Totiès ex Scriptura simonia committitur, quotiès spirituale non datur gratis; juxtà illud; *Gratis accepistis, gratis date*: atqui illud contingit in prædicto casu: ergo in prædicto casu incurritur simonia.

2°. Ex Urbano. III. an 1186. *Generalitèr*, inquit, *itaquè teneas, quod commutationes præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissâ, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ*: capite, *quæsitum*, de rerum permutatione.

3°. Ex Concil. Remensi. Si quis beneficium in compensationes collationis etiàm alteri conferendum exigat, vel aliam quamlibet pactiõnem à sede Apostolicâ non approbatam fecerit, simoniacus esse censeatur. Idem determinat Pius IV. Bullâ, quæ incipit, *Romanum Pontificem* Et Pius V. Bullâ, quæ incipit, *intolerabilem*.

4°. Ratione. In spiritualibus omnis pactio, omnisque conventio cessare debet, & omnes pactiões nullius penitùs sunt momenti, ità jus canonicum. Extra, de pactis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

¶ CONSECTARIUM I. Qui resignat beneficium cum lege retrocessionis, idest, cã

lege, quod sibi liceat illud idem beneficium occupare, est simoniacus; quia illud prohibetur prædictis Bullis.

CONSECTARIUM II. Qui resignat beneficium ea lege, ut alteri conferatur, ut illius fructus, vel pars eorum aliis conferantur, vel pensiones illicitæ ex eisdem fructibus solvantur, est simoniacus; quia omnis conventio abesse debet in resignationibus cap. *Quæsitum*. Extra. De rerum permutatione, & cap. *Pactiones*. Extra. De pactis, quandonam pensiones sint licitæ, dicemus, ubi de beneficiis, ubi agemus de statu Clericorum.

CONSECTARIUM III. Qui confert beneficium lege tacitâ, vel expressâ, ut illud beneficium, aut aliud alteri, vel per se, vel per alium, personæ à collatore designandæ, conferatur, est simoniacus. Item qui ita paciscitur: ego nunquàm consentiam, ut talis, quem proponis, sit canonicus, nisi vicissim ipse consentias, ut talis, quem ego propono sit canonicus; quia eæ pactiones sunt confidentiariæ.

CONSECTARIUM IV. Qui acceptat beneficium ea conditione, ut non recipiat fructus, sed ut alius, fructibus, vel eorum portione sub ipsius nomine gaudeat, est simoniacus confidentiarius; quia ita determinatur in prædictis Bullis.

CONSECTARIUM V. De simonia fiduciaria suspecti sunt; *Qui sine intentione clericandi beneficia ad tempus retinent, in cognatos tandem resignanda, eoque modo de uno ad alium transferenda, & perpetuò in eadem*
domo

domo quasi hereditario jure possidenda. Concil. Burdigalense anno 1624. cap. de simonia. num. 2.

CONSECTARIUM VI. Simoniam committunt duo collatores, qui ad prælaturam spiritualem sibi mutuò suffragari paciscuntur, ità declaravit Alexander III. dicens: quod Episcopus Oxonnenfis erat simoniacus, eo quod Archidiacono beneficium & Clerico cuidam Prioratum promiserat, si ambo suæ electioni consentirent. capite *De hoc autem.* de simonia.

Idem declaravit Facultas Parisiensis, dam-nans hanc propositionem: *Simonie rei non sunt viri duo religiosi, qui in hunc modum paciscuntur; suffragare mihi, ut sim Provincialis; & tibi suffragabor, ut sis Prior.* Hi simoniam committunt; quia rem spiritualem conferunt non gratis, sed cum pactione.

Nota. Simoniam fiduciariam non committit, qui beneficium remittit in manu collatoris, sinè ullo pacto tacito, vel expresso, quamvis speret patronum illud beneficium collaturum ei, quem ad hoc beneficium promoveri desiderat; quia ibi nullum est pactum.

§ XI.

De pœnis Simonie fiduciariæ.

1°. Simoniacus fiduciarius excommunicatur excommunicatione reservata summo Pontifici. 2°. Privatur quibuscumque beneficiis, etiàm aliàs canonicè obtentis. 3°. Restitue-

re cogitur omnes fructus beneficii simoniacè accepti. 4°. Redditur inhabilis ad alia beneficia, à solo summo Pontifice rehabilitandus. 5°. Extrà Galliam collatio beneficii simoniâ fiduciariâ accepti devolvitur ad Papam, in Gallia verò ad Ordinarium. Illa omnia constant ex Bullis suprâ citatis.

§ XII.

De Simonia, quæ committi potest in ingressu ad Religionem.

PROPOSITIO I. Omnis conventio, & pactio tradendi pecuniam pro ingressu in religionem, tam in Monasteriis pauperibus, quàm divitibus, est simoniaca.

Probatur 1°. Ex Script. Omnis res spiritualis debet dari gratis, juxta illud: *Gratis accepistis gratis date*: Atqui ingressus in religionem est res spiritualis: ergo debet gratis concedi; & ità simonia committitur, quotiès fit pactum dandi pecuniam.

2°. Ex Concilio Niceno secundo actio. 7. & ultimâ, Canone 19. *Si quis, inquit Concilium, inventus fuerit hoc faciens*, id est, dans, vel accipiens pecuniam pro ingressu in religionem; *Si quidem Episcopus, vel Abbas extiterit, aut quilibet de sacro Collegio, aut desinat, aut deponatur.*

3°. Ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. Can. 10. *Monachi, inquit, non pretio recipiantur in Monasterio Si quis autem exactus pro sua receptione aliquid dederit, ad Sacros ordines non ascendat. Is autem, qui re-*

ceperit, officii sui privatione mulsetur.

4°. Ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Can. 64. *Quoniam simoniaca labe adeò plerasque moniales infecit, ut vix aliquas sinè pretio recipiant in sorores paupertatis pretextu; volentes hujusmodi vitium palliare: ne id de cætero fiat, prohibemus. Et ibidem contravenientes detrudentur, in locum arctioris regulæ, ad agendam perpetuam pœnitentiam.*

5°. Ratione. Ingressus in religionem est aliquid spirituale, ad quod per temporale non licet pervenire.

PROPOSITIO II. Pro victu, & vestitu Noviciorum, & Noviciarum toto probationis anno congrua pensio exigi, & recipi potest sine simoniâ à quibuscunque Monasteriis, & divitibus & pauperibus.

Probatur 1°. Ex Concil. Triden. sess. 25. cap. 16. *Sed neque ante professionem excepto victu, & vestitu Novitii, vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque pretextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus, Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur.*

2°. Ratione. Novitius & Novitia non habent jus, ut ex Monasterii bonis alantur; illud quippe jus non habetur, nisi per professionem: ergo potest aliquid recipi, immò exigi pro pensione vitalitia.

PROPOSITIO III. Quotiès in Monasterio diviti erunt superflua, & Novitius vel Novitia ob paupertatem non poterunt congruam pensionem, etiàm pro anno Novitiatus solvere, totiès Monasterium tenebitur

ex charitate, nil exigere vel recipere pro pensione Novitiatus; immò neque pro dotali, vel vitalitia pensione, si Monasterium valeat illam eleemosinam impendere.

Probatur. Ex charitate tenemur dare superfluum pauperibus, non potest autem congruentius eleemosina fieri à Monasterio, quàm illi, qui vult Monasterium ingredi: ergo in illo casu nihil debet exigi.

PROPOSITIO IV. Pensiones vitalitiæ consuetæ, & legitimæ eleemosinæ non solum recipi, sed exigi possunt à Monasteriis inopibus, & tenuibus.

Probatur 1°. Ex Concil. Senonensi ann. 1528. *Si qua, enim puella ultra numerum constitutum, in Monasterium se recipi petat, id permittunt, dummodò secum congruam afferat pensionem, quâ cum cæteris religiosis numerariis alatur.* Titulo de decretis morum c. 28.

2°. Ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. *In Monasteriis & domibus tam virorum, quàm mulierum bona immobilia possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conserveatur, qui vel redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosinis commodè possint sustentari.* Ex quo videtur sequi, quod si quis velit recipi in Monasterio inopi, debeat redditus afferre, quibus cum aliis commodè ali possit. Sicut cernimus, quod cum quis Clericus non habet beneficium, sub cuius titulo Subdiaconatum accipiat, Ecclesia exigit titulum patrimoniale, ut licitè ordinari possit.

3°. Ex D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4.

Dicendum, quòd pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium; licet tamen, si Monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas; gratis quidem ingressum Monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu persone, quæ in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes.

Consektaria hujus Doctrinæ.

CONSEKTARIUM I. In Monasteriis, in quibus præfixus est numerus monialium, vel religiosorum, potest recipi, immò exigi dos, vel pensio vitalitia pro ea persona, quæ ultrà numerum voluerit recipi.

CONSEKTARIUM II. A fortiori aliquid potest recipi ab ea persona, quæ ob provec-tam ætatem, vel ob graves infirmitates habituales, vel ob ingenii tarditatem, & hebetudinem, aliasque rationes, prævidetur onerosa Monasterio; quia justum est, ut Monasterium servetur indemne.

PROPOSITIO V. In Monasteriis, in quibus præfixus est numerus personarum religiosarum, quæ ex redditibus, & elemosinis ali possunt, simonia non committitur, si dos, vel pensio vitalitia recipiatur etiàm pro ea persona, quæ non excedit numerum definitum, modo certæ conditiones observentur infra determinandæ.

Probatur, illud definivit Congregatio Cardinalium interpretes Concilii Tridentini, ut refert Fagnanus, cujus hæc sunt verba: hanc difficultatem sustulit postea sacra Congrega-

tio supèr negotiis Episcoporum , & Regularium , quæ animadvertens sanctimonialium Monasteria , sine dotium subsidio diù sustineri non posse , & proptèr ingruentes necessitates & casus inopinatos plerumquè ad inopiam redigi , summis Pontificibus approbantibus , prudenter sanxit , ut dotales eleemosinæ à numerariis monialibus persolverentur , tametsi numerus esset taxatus ad mensuram reddituum Monasterii ; ex penuriâ enim multa proveniunt mala , præsertim in Monasteriis dominarum , inquit Ostiensis hic in finem , hætenùs Fagnanus in cap. *Non amplius*. Extrâ de institutionibus num. 24. Idem docent Sotus , & Sylvester ; quia , inquiunt , hæc taxatio fit titulo sustentationis. Verùm hæc sententia Fagnani ità videtur determinanda.

1°. Quotiès in Monasterio erunt superflua , & persona , quæ vult profiteri religionem , non poterit pensionem vitalitiam solvere , totiès Monasterium debet illam gratis admittere , si professa non sit futura oneri Monasterio. 1°. Quia ex charitate Monasterium debet eleemosinam dare , & non potest eleemosinam Deo gratiorem efficere. 2°. Quia debet omnem speciem simoniæ longè amovere , quod utiquè fit utilitèr , si dum se exhibet occasio , gratis pauperes personas ad professionem admittat.

2°. Quandò licebit Monasterio pensionem vitalitiam exigere , hæc pensio non debet esse , nec acta , nec excedens ; sed solum sufficiens ad monialem decentèr nutriendam ,

& juxtà piàm , & christianam locorum consuetudinem taxandam. *Habentes autem alimenta & quibus tegamur his contenti simus.*

1. Timoth. 6. v. 8. Et Trid. in temporalibus Monasteriorum facultatibus eam ineundam esse rationem , ait , ut Monialium , numerus commodè sustentari possit. Sess. 25. cap. 3.

3°. Extirpanda est illa consuetudo , vel potiùs corruptela , quâ fit , ut quò Monasteria sunt ditiora , eò opulentiores , & pinguiore pensiones exigant ; quâ fit paritèr ut idoneæ personæ rejiciantur , si dotem taxatam non habeant , ineptæ verò admittantur , modò dotem afferant ; quia sic verè venditur ingressus in religionem , & contra illum præsertim abusum statuti sunt Canones , qui referuntur cap. *Quoniam simoniaca*. De simonia.

4°. Extirpanda est fœda illa consuetudo , quâ exigitur pecunia pro extruendis conviviis in die vestitionis , aut professionis. Nùm satiùs esset (inquit Navarrus) modesta quædam humilisque temperantia spiritali conjuncta contemplationi , quàm pomposa intemperantia mundanæ cuidam admixta voluptati , in funeralibus ejus , quæ per professionem moritur mundo , & nascitur , vel excrefcit Deo.

§ XIII.

De Bursarum venditione.

Bursæ sunt annuum subsidium , munifi-

centiâ fidelium fundatum, ut pauperes scholastici studiorum suorum cursum possint peragere sub eo onere, quòd scholastici bursarii teneantur statutis fundatorum obedire.

PROPOSITIO I. Bursarum venditio non est simoniaca.

Probatur. Bursæ non sunt propriè beneficia; beneficium quippè ecclesiasticum est potestas spiritualis exercendi ministerium ecclesiasticum, cum jure percipiendi redditus temporales. Bursa verò est subsidium temporale datum pauperi, ut studiorum cursum peragere valeat, quæ duo maximè differunt.

Illud paritèr viderur probasse Sorbona; cum enim Baccalaureus quidam, nomine Clictoraus, has propositiones asseruisset: *Non est illicitum lege divina & naturali vendere beneficia. Item non est illicitum, lege divina, & naturali bursas vendere*; Facultas Sorbonica determinavit primam propositionem simoniacam labem inducere; secundam verò turpe lucrum fovere, quam distinctionem non adhibuisset Sorbona, si talis venditio esset simoniaca.

Conseſtarium hujus Doctrinæ.

Venditores bursarum non subjiciuntur iisdem pœnis canonicis suprâ relatis, quibus subjiciuntur venditores beneficiorum; quia talis venditio non est verè simoniaca.

PROPOSITIO II. Bursarum venditio est turpe lucrum prorsus illicitum.

Probatur. Turpe lucrum dicitur, vel quod

ex turpi commercio provenit, quale est lucrum meretricis, vel quod ex animo ita cupidus quæritur, ut etiã ex aliã quãcumque re paratus sit homo sic operans divitias sibi parare. Utraque autem labes in bursarum venditione reperitur; turpe quippè est vendidare bursas in pauperum subsidium institutas, & istud commercium arguit hominem ita avarum, ut nihil curet, modò lucrum faciat.

Illud idem expressè determinavit Sorbona sequentem propositionem censurã afficiens: *Non est illicitum lege divinã aut naturali bursas vendere.* Hæc propositio, ait, est scandalosa, & turpe lucrum impiè fovens.

Conseſtarium hujus Doctrinæ

Venditores bursarum non possunt retinere pecuniam, quam acceperunt ex bursarum venditione; sed debent eam pauperibus distribuere, aut in bonum Collegii destinare. 1^o. Non possunt eam pecuniam retinere; quia non sunt Domini bursarum. 2^o. Debent eam pecuniam, vel pauperibus distribuere, vel in bonum Collegii destinare; id enim videtur exigere recta & justa intentio fundatoris.

PROPOSITIO III. Scholares bursarii tenentur exactè institutis fundatorum parere; alioquin peccant, & tenentur ad restitutionem.

Probat. Fideles, qui subsidia illa suis munificentis in perpetuum stabilierunt, voluerunt eas eleemosinas largiri, cum certo

onere : & proindè , qui eas eleemosinas recipiunt , non fiunt eorum bonorum Domini , nisi impositam conditionem adimpleant.

Et sicuti beneficiatus omittens sine causa horas canonicas , tenetur ad restitutionem fructuum ex Beneficio provenientium , ut statutum est in Concil. Lateranensi sub Leone X. ita & bursarii officiis suis non perfuncti tenentur ad restitutionem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

CONSECTARIUM I. Bursarii , qui non habent dotes requisitas à fundatoribus , tenentur fructus perceptos restituere ; quia impositas conditiones non implent.

Sic , bursarii divites tenentur restituere , quandò bursæ sunt fundatæ pro inopibus , non pro divitibus.

Sic , Bursarii unius Dioceseos tenentur restituere , quandò Bursæ sunt fundatæ pro personis alterius Dioceseos ; quarum locum injustè detinent.

Sic , Bursarii non Clerici tenentur restituere , quandò Bursæ sunt fundatæ pro solis Clericis.

Sic , Bursarii , qui non habent animum Clericandi , tenentur restituere , quandò Bursæ sunt fundatæ pro iis solùm , qui volunt in Sacerdotio ministrare Ecclesiæ.

CONSECTARIUM II. Quandò Bursæ sunt fundatæ ad obtinendos Gradus , v. g. Baccalaureatus , Doctoratus , &c. Illi , qui talem Gradum consecuti sunt , debent Abdicare bursas , & eas digniori resignare ;

quã aliã intentionem fundatoris non exequerentur.

CONSECTARIUM III. Quandò Bursæ sunt destinatæ ad spiritualis alicujus scientiæ studium , Bursarii tenentur huic scientiæ , & non alteri studere , v. g. si Bursa fuerit fundata ad studendum Theologiæ , non debet studere Medicinæ ; quia aliã non satisfacit intentioni fundatoris , nisi fortè eo fine studeat , ut per studium unius scientiæ disponatur ad studium alterius scientiæ.

CONSECTARIUM IV. Quandò Bursæ sunt fundatæ ad procurandos fideles operarios in vinea Domini , quandò Bursarius consecutus scientiam necessariam ad ministrandum Ecclesiæ , debet in vinea Christi operari , & Bursam suam abdicare ; quia aliã non satisfaceret intentioni fundatoris.

§ XIV.

De remediis contrà Simoniam.

Præcipuum remedium contrà simoniam est , ut qui , vel conferunt , vel recipiunt spiritualia , nullum lucrum quærant , sed solam Dei gloriam ambient.

1º. *Gratìs accepistis , gratìs date* , idest , ut ait Gennadius , si à me hoc vobis venditum est , vos quoquè ipsum aliis vendite ; si autem , *gratìs accepistis , gratìs date*.

En præceptum impositum his , qui conferunt spiritualia ; audi modò præceptum recipientibus spiritualia impositum : *Pascite* ;

420 MORALIS CHRISTIANA
qui in vobis est, gregem Dei, providentes non
coactè, sed spontaneè, secundùm Deum, ne-
que turpis lucri gratia, sed voluntariè. 1. Pet. 5.
v. 2.


Quaproptèr, si Evangelium (Idem dic
de aliis spiritualibus bonis) proptèr cibum
querimus, priorem facimus cibum, posterius
regnum Dei; si Evangelisemus, ut manduce-
mus, vilius habemus Evangelium, quàm ci-
bum. Aug. lib. 2. de serm. in monte cap. 16.
Ergo, &c.

Qui enim officium ecclesiasticum eo quærit,
aut tenet, animo, eoque intuitu, ut huic
vitæ habeat necessaria, perverso nimis or-
dine cœlestibus terrena mereatur.

Finis secundi Tomi.

In sequenti Tomo reliqua Decalogi præ-
cepta simulque Ecclesiæ mandata explicabi-
mus.

*Domine Deus une, Deus
Trinitas quæcumque dixi in
his libris de tuo, agnoscant &
tui, si quæ de meo & tu ignosce,
& tui, Amen. Aug. lib. 15.
de Trinit. cap. 51.*



MONITA.

*Circa quædam, quæ mihi relegenti visa sunt
explicatione indigere.*

PAg. 17. Consect. 2. dixi. Peccat quilibet homo, sive baptisatus, sive non baptisatus, qui sufficienter edoctus mysteria fidei, eis non assentitur.

Hoc est verum; sed hæc addi potuissent. Si adultus non sit sufficienter instructus, & inculpabiliter ignoret mysteria fidei, non peccat; quia juxta D. Thomam infidelitas negativa excusat à peccato 2. 2. q. 10. a. 1. in corp. ubi sic habetur: *Si autem infidelitas accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ; quia talis ignorantia divinorum ex primi parentis peccato consecuta est. Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt: non autem damnantur propter infidelitatis peccatum.*

Pag. 17. Consect. 3. dixi. Quod homo tentatus contra fidem debet elicere actum fidei.

Hoc est verum; sed ita debet intelligi, quando tentatio est gravis, & non potest aliter vinci; nam si tentatio non sit gravis, & vinci possit alio virtutis actu, tunc non urget præceptum fidei.

Pag. 18. loquor de actu fidei, vel explicito, vel implicito, & neutrum actum ex-

plico : ergo deest hæc explicatio.

Hoc est verum ; sed ita explicari potest. Actus explicitus fidei est actus , quo assentior rebus propositis ; actus verò implicitus est quædam interior dispositio , qua mens ita est affecta , ut sit propensa ad assentiendum his , quæ sunt proposita , vel quæ proponerentur ab Ecclesia.

Pag. 20. Consect. 9. dico cum Tertuliano : *Adversus regulam nihil scire , omnia scire est.*

Non excludo motiva credibilitatis ; quia immò optimum puto ea addiscere , ea meditari ; sed intendo solum , quod tota ratio credendi innitatur auctoritati divinæ , & non humanis ratiociniis.

Pag. 27. Consect. 4. dixi. Quod degentes apud infideles possunt uti vestibus & signis nationi propriis.

Hoc est verum : sed addendum erat , modo non sint signa & tessera professionis infidelitatis.

Pag. 90. dixi. Hic non ago de actibus bonis bonitate morali naturali. Numquid illud additum est ex industria , ut eludam hanc quæstionem : an omnia opera peccatoris sint peccata ? an omnia opera infidelium sint peccata.

Non is meus sensus fuit , mens erat solum lectorem non fatigare his quæstionibus , quæ parum aut fortè nihil inserviunt ad moralem Christianam ; ut ut sit , ut quæ mea sit sententia circa prædictas quæstiones planè pateat adhæreo Trident. dicenti : *Si quis dixerit omnia opera , quæ ante justificationem fiunt , quacumque ratione facta sint , vera esse pecca-*

ta . . . Amathema sit. Adhæreo summis Pontificibus damnantibus istam propositionem ; *Omnia opera infidelium sunt peccata.* Adhæreo D. Thomæ , qui 2. 2. q. 10. a. 4. docet ex professo , quod tametsi infideles divina gratia careant ; quia tamen ex infidelitate non corrumpitur totum naturæ bonum , possunt aliquid boni operari ; quamquam id non sit meritorium vitæ æternæ.

Pag. 91. Consect. 2. citatur D. Thom. fideliter quidem ut examinanti patebit.

Sed hæc verba : *Ac proinde &c.* Non sunt D. Thom. sed mea , errore Typographi impressa sunt caractere , quo uti solent in citationibus , cum imprimenda fuissent caractere communi.

Pag. 170. cito auctoritatem Anacleti , quæ habetur Can. *Sacerdotes.* 24. q. 3.

Scio decretales omnes antiquas usque ad Syricium apud Doctos haberi , ut Apocriphas , ut ipsemet docebo in synopsis Juris Canonici , sed eam laudo , ut monumentum antiquum , cujuscumque sit auctoris.

Pag. 181. dixi Ex D. Thom. quod dum fratrem corrigimus , debemus ejus famæ consulere ; quia fama est proximo ad multa necessaria , non laudavi locum D. Thomæ ; ita est , sed D. Thom. hoc dicit 2. 2. q. 33. a. 8. in corp.

Pag. 193. Mon. 3. dixi Nos posse gaudere , quod bona temporalia indignis & peccatoribus obveniant ; quia ex justa Dei ordinatione disponuntur hæc bona , vel ad eorum correctionem , vel ad eorum damnationem , ut dicit D. Thomas.

Si hæc bona cedant ad eorum damnationem, non de eorum damnatione gaudere licitum est, sed laudare possumus Deum, qui justè omnia disponit.

Pag. 235. dixi. Eusebius asserit. *ses. 15.* Hæc verba nihil significant.

Fateor, sic legendum Eusebius asserit Seth, qui justus esse perhibetur, imagines Deo fecisse.

Ibidem dico ex Eusebio lib. 2 Hist. Eccl. Christum misisse sui imaginem Regi Agabaro.

Duplex est ibi error, non id dicit Euseb. in loco à me citato, sed Evagrius lib. 4. Hist. Eccles. cap. 25. Deinde Rex non vocatur Agabarus, sed Agbarus.

Pag. 297. dixi Ordinem Sacrum habere annexum votum solemne castitatis ex institutione Ecclesiastica.

Loquor secundum vulgarem opinionem. Scio secundum aliquos autores, Subdiaconos, & Diaconos, & Presbiteros non teneri ad servandam continentiam ex vi voti, sed ex lege Ecclesiastica, quæ à Syricio vocatur inviolabilis.

Pag. 356. Citando jus Canonicum sic habeo Can. *Eos*, nihil ultra addens, quamvis tamen vulgo Canonistæ soleant addere, vel distinctionem, vel causam, ubi Canon laudatus reperitur.

Fateor me id sæpius facere; quia id sufficere credidi sed imposterum addam, vel dist. vel caus. v. g. Can. *Eos qui. 1. q. 1.*

Pag. 358. Citata extravag. non incipit: *Detestabile*, sed *cum detestabile.*

Pag. 360. dixi Can. *Cogitationis* addendum est, de pœnitent. dist. 1. q. 3.

Pag. 376. citatur Canon. *Quæ res Ecclesiasticas*. Falsa est citatio, sed id habes Canon. *Salvator*. 1. q. 3.

Pag. 384. dixi Cum D. Thom. est in permutatione simonia, si fiat pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius partis.

Fiunt vulgo permutationes pro commodo aliquo temporali, v. g. sanitate, viciniâ suorum, servitio commodiore, &c. Episcopo has permutationes approbante. Sed manet semper vera D. Thom. sententia, si illud commodum temporale non referatur ad majorem Ecclesiæ utilitatem.

Pag. 403. Citatur à me Gratianus; est ne autor, qui fidem faciat, uti facit jus Canonicum?

Gratianus autor est privatus, non habet auctoritatem irrefragabilem; sed ejus sententia non est omninò spernenda, præcipuè cum cohæret Canonibus, quos explicat.

Errata secundi Voluminis.

- P**agina 2. linea 19. loco *triplex lege duplex.*
 Pag 3. lin. 24. loco *requirantur lege requiruntur.*
- Pag 10. lin. 1. loco *Augustenense lege Augustodunense.*
- Pag 29. lin. 7. loco *Helcitzæ lege Helcecæitæ.*
- Pag. 31. lin. 30. loco *indubitam lege indubitatam.*
- Pag. 46. lin. 4. loco *ut est lege est ut.*
- Pag. 92. lin. penult. loco *istum leg. istud*
- Pag. 115. lin. 20. loco *ix. leg. xi. & pag. seq. idem fac. lin. 23.*
- Pag. 111. lin. 24. loco *referatur leg. referantur.*
- Pag. 125. lin. 9. loco *& leg. en.*
- Pag. 129. lin. 26. loco *ac leg. an.*
- Pag. 175. lin. 27. loco *filius leg. fili.*
- Pag. 181. lin. 1. duæ ult. voces *jungendæ sunt cum primis vocibus 2. lineæ.*
- Pag. 213. lin. 25. loco *vicerent lege viverent.*
- Pag. 234. lin. 27. loco *curratur leg. curvatur.*
- Pag. 239. lin. 22. loco *illi leg. illa.*
- Pag. 260. lin. 23. loco *intendebatur leg. incendiabatur.*
- Pag. 264. lin. 28. loco *daturam leg. daturum.*
- Pag. 273. lin. 17. loco *est leg. &.*
- Pag 308. lin. 14. loco *pariter circe leg. parituras circa.*
- Pag. 316. lin. 19. loco *& leg. ut.*
- Pag. 328. lin. 29. post illam vocem *Josné leg. ex præcepto Dei & indicio.*
- Pag 365. lin. 25. post illam vocem *fructus adde restituere.*
- Pag. 412. lin. 10. loco *pensionis leg. pensiones.*

